CATO MAIOR CHRISTIANVS,

SIVE

DE SENECTVTE CHRISTIANA

LIBELLVS,

Ad ampliſſimum, & perquam Reuerendum Dominum, Dom. PHILIPPVM CAVEREL Abbatem S. Vedaſti.

Auctore P. IOANNE BOVRGHESIO olim Duaci S. Theologiæ Profeſſore, Societatis IESV.



DVACI,
Ex Typographia BALTAZARIS BELLERI, ſub Circino aureo, Anno 1633.

ADMODVM

REVERENDO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO

D. PHILIPPO CAVEREL,

CELEBERRIMI VEDASTINI

MONASTERII APVD ATREBATES

ARCHIMANDRITÆ.

RELIGIOSORVM, ORDINVM

ET

BONARVM ARTIVM

FAVTORI EXIMIO.

Annum dum agit vitæ LXXIX.
Administratę Pręlaturę XXXV.
Post extremæ, & decrepitæ
Senectutis annos feliciter
decursos, beatam apprecatur
Æternitatem.

I. B. S. I.

M. DC. XXXIII.

APPROBATIO.

OPusculum hoc, cuius epigrapho est, *Cato Maior Christianus*, *siue de Senectute Christiana libellus*, *Auctore P. Ioanne Bourghesio*, *olim Duaci S. Theologiæ Professore*, *Societatis IESV*, cum voluptate legi, dignumque censui quod prælo committeretur, atque ab omnibus legeretur; à senibus quidem, vt ætatis suæ bona, quæ doctè, eleganter, piè hic exponuntur, cognoscant, ijsque Christianè vtantur; à Iunioribus vero, vt cum puritate Latini sermonis, qua libellus iste commendabilis est, eas modò sibi artes virtutesque comparent, quarum suauissimos fructus olim in beata senectute decerpant. Duaci 8. Iunij 1633.

PHILIPPVS DV TRIEV
è Societate IESV S. Theolog. Doctor, Episcopali auctoritate Censor constitutus.



CATO MAIOR CHRISTIANVS, SIVE DE CHRISTIANA SENECTVTE LIBELLVS.



VNQVAM satis laudari dignè poterit Philosophia, cui, qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia possit degere; quæ non modo omnes senectutis abstergat molestias, sed efficiat mollem etiam & iucundam senectutem. Sed enim, quantùm humanæ rationi diuina fides antecellit, hocque longè illustrius est gratiæ lumen à Deo mentibus infusum, quàm innatum inditumque naturæ: tantum & amplius Christiana Philosophia Gentilium omnium antecellit Philosophiam, etsi præstantibus ingenijs, & eloquentia singulari præditorum. Neque vero hæc cum illa comparari potest, non secus atque cum luce tenebræ, cum veritate falsitas, mendaciumque componi nequit. Philosophia propha-

na, mulier illa est captiua, quam si quis adamauerit, decaluanda primùm est, errorum multiplici crine, vnguibusque resectis, emortuis criminum illecebris, & verborum fucis amputatis; tum Prophetali nitro sæpius abluenda; Denique, cum ad læuam humanæ rationis suppositam capiti dextera su, er infusæ fidei, quâ te potissimùm astringat, accesserit, arctius complectenda. Multos sui fætus captiua dabit, & de Moabitide efficietur Israëlitis.

Hieron. ad Pamach. Philosophi, si quæ forte vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, ait Aug. non modo non sunt formidanda, sed ab ijs tanquam 2. de doct. Christian. iniustis possessoribus vindicanda; & tanquam Ægypti spolia, in meliorem veri Dei cultum traducenda. Id ego nuper in Catone Maiore conatus sum, vt similem illi libellum, de Christiana senectute, conscriberem, delibatis aliquot eius sententijs, ex Christianæ fidei schola ac doctrina correctis, & leuiter immutatis; Eum libellum nunc ad te mitto, Reuerende admodum Præsul, plurimis mihi nominibus obseruande, ad aliquod tuæ non iam aduenientis, sed pridem vigentis senectutis, leuamen atque solatium; Quamquam non magnopere eges vllo solatio, qui pro tua animi moderatione, &, cum totus ex Deo pendeas, cum diuina voluntate conformatione; duo, quæ grauissima putantur onera, senectutis, & inualetudinis, cum te subinde podagra diuexat, æquissimo feras animo: vt ijs prope delectari videaris. Neque dubito, quin tibi sæpè veniat in mentem, senectutem

em morbum esse naturalem, morbum verò
duentitiam, & præmaturam esse senectutem;
triusque autem origmem in primæuum pri-
ni parentis inobedientiæ peccatum referen-
lam; quare moneri nos, diuino Numini pa-
endum, & in eius æquissima, ac nobis maxi-
nè salutari voluntate conquiescendum.

Ex ea scaturigine peccati manarunt omnes
:rumnæ nostræ; Mors imprimis, & senectus
ræuia, ac prænuntia mortis, administra eius
c comes, nisi morbo, vel alio casu violento
ræuertatur. In illo fælicis innocentiæ statu,
eque mors, neque senectus, neque morbus,
eque alia vitæ mortalis calamitas euenisset;
ua nunc, vti flagro diuinæ iustitiæ mul-
iplici cædimur mali serui; quemadmodum
bseruat S. August. Tota vita mortalis plaga Aug. in ps. 122.
ostra est, fratres mei, videte, ex quo vapule-
ıus. In omnibus qui ab initio generis hu-
ıani nati sunt, in omnibus qui nunc sunt,
ı omnibus qui postea nascentur, Adam va-
ulat. Vapulat Adam, id est, genus huma-
um. Et multi sic obduruerunt, vt nec pla-
as suas sentiant; Qui verò ex ipso genere
lij facti sunt, receperunt sensum doloris,
ntiunt se vapulare, & nouerunt quis ius-
t vt vapulent; & leuauerunt oculos suos, ad
um qui habitat in cælo, & sic sunt oculi
ɔrum in manibus Dei sui, quo ad vsque
ıisereatur, & dicat aliquandò, Parco, sitque
æc extrema plaga, senectus patienter tolera-
ı; aut mors in eius obsequio piè perfuncta.
.x eorum numero, qui se vapulare sentiunt,
: esse opinor, neque id vnquam, scio, ap-
 probabis

probabis responsi, quod Cato Maior Scipioni, ac Lelio admirantibus perfectam eius excellentem que sapientiam, in senectutis onere perferendo, dedit: Rem haud sane difficilem admirari videmini. Quibus enim nihil opis est in ipsis, ad bene beateque viuendum, ijs omnis grauis est ætas; Qui autem omnia bona à seipsis petunt, ijs nihil potest malum videri, quod naturę necessitas adferat. Quo in genere imprimis est senectus, quam vt adipiscantur omnes optant, eandem accusant adepti. Nam quis humilitatis Christianę studiosus ab hoc superbo Stoicorum dogmate vehementer non abhorreat? Quis suæ virtuti tribuat, vt quę plerisque senibus sic odiosa est senectus, vt onus Æthna grauius dicant se sustinere ipsi sit minimè grauis, sed grata etiam & expetenda? Si te quidem noui, Reuerende Præsul, nihil in te opis ac præsidij, ad bene beateque viuendum agnoscis, non à te ipso, sed à Deo bonorum omnium authore petis vniuersa,
Psa.68. gratissimoque semper animo Dauidis illos
v.30. concinis versus. *Ego sum pauper & dolens,*
Psa.70. *salus tua suscepit me. Deus docuisti me à iu-*
v.17. *uentute mea*, quam egens tui, quam ex me
pauper ac miser essem! *Et vsque in senectam &*
v.18. *senium non derelinquas me.* Et iterum. *Ego*
Psa 58. *autem cantabo fortitudinem tuam: & exulta-*
v.17. *bo mane misericordiam tuam: quia factus es*
susceptor meus, & refugium meum in die tribu-
v.18. *lationis meæ:* Ingrauescentis huius ætatis. *Ad-*
iutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus
es: Deus meus misericordia mea. O suaue
nomen

nomen (exclamat S. Augustinus) sub quo nemini desperandum; etsi senectutis onus, Æthna grauius sustineat! Neque verò naturæ necessitatem in ætate prouecta (non enim omnibus etiam optantibus obtingit) sed diuinam indulgentiam, ac beneficentiam agnoscis; Et absit, vt eximium Dei munus accuses, aut malignè interpreteris, de quo quotidie Deo gratias rependis, cum recorderis, quam multos æquales tuos Deus ab ipsis prope carceribus, aut in medio cursu reuocarit à vita; tibi verò longiorem hanc ætatem ad maius obsequium suum, meritorumque tuorum ingentem cumulum, quo in beata perfruaris æternitate, tot inter morborum genera, prorogarit: Etenim ea est Diuina bonitas infinita, vt & ab ea inflictæ pænæ sint gratiæ, ipsaque supplicia primæui peccati singularia quædam beneficia, &, si norimus vti, consequendę beatæ æternitatis euadant adiumenta. Hunc porrò finem beatę æternitatis promerendæ, atque assequendæ, quò foret omnis ętas ac vita referenda, vetus ignorauit Philosophia. Neque mirum, si in cæteris vitæ partibus atque officijs describendis vehementer aberrarit, quæ in extremo totius vitæ fine constituendo, plane cæcutierit. Hic interim philosophiæ Christianæ cardo vertitur, hic vertex, hæc summa nostræ sapientię. Hominem à Deo conditum, Dei causa, vt eum agnoscat, obseruet, amet ac colat, eique obediat ac seruiat hac in vita mortali, citissimè præteruolatura, tum perfectè saluus ac beatus fiat

in altera immortali sempiterna. Duplex semper vita debet oculis fidei, ac mentis obuersari; Præsens temporanea, in qua diuinorum obsequiorum, ac virtutum merita sunt congerenda; tum altera futura sempiterna, & immortalis, in qua præmia denique cælestia claræ beatificæque visionis, ac fruitionis expectentur. Hic est vitæ scopus, huc omnium ætatum cursus, ac potissimum extremæ senectutis dirigendus. Cęteræ res omnes quę hoc vniuerso continentur, hominis causa conditæ sunt, vt eum ad vltimi finis assequutionem adiuuent, atque promoueant, ijsque veluti vehiculis vtendum, ad vitæ huius curriculum fæliciter emetiendum; aut quasi scalis, quibus ad Deum conditorem, cælestemque eius aliquando regiam conscendamus. Quamobrem, sic animo comparati esse debemus, vt paupertatem æquè ac diuitias, ægritudinem ęquè ac sanitatem, breuem vitam ęquè ac longam, mortem ipsam æquè ac vitam æstimemus, ac pro magno Dei munere reputemus, si ad extremum æquè finem beatę vitę nos adiuuent. Nihil earum rerum per se in bonis malisque ducamus, quæ pro conditione naturæ suæ sunt adiaphorę, sed pro finis extremi ratione singulas quasque dimetiamur, tumque senectus nobis optanda, atque in bonis habenda, si ad eum finem nos cumulatiore virtute, ac merito perducat; Si ab hoc aberret fine, plane damnanda, ac repudianda. Melius illi erat, qui ab hoc excidit fine, si non modo senex, sed si omnino natus non fuisset. Vtinam ille nullam ætatisvn-

tis vnquam, ac vitę partem attigiſſet!

Id ſerò iam experitur infęlix Cato, qui videtur id vnum contendiſſe, ne ſenectus malum cenſeretur, ne miſera & deploranda, ſed molliter ferenda crederetur. At verò eius admiranda, & apud homines Chriſtianos vere diuina bona, ac commoda non attigit; Sed audiamus eius ſapientiam. In hoc ſumus, inquit, Sapientes, quod naturam optimam ducem tanquam Deum ſequimur, eique paremus, à quo non veriſimile eſt, cum cęteræ partes ętatis bene deſcriptæ ſint, extremum actum tanquam ab inerti poëta eſſe neglectum. Sed tamen neceſſe fuit, eſſe aliquod extremum, & tanquam in arborum baccis, terræque frugibus, maturitate tempeſtiua quaſi vietum, ac caducum; quod ferendum eſt molliter ſapienti. Quid enim eſt aliud gigantum more bellare cum Dijs, niſi naturæ repugnare? O cæcam ac miſerandam Catonis ſapientiam, qui nihil de originario vitio, ac communi labe naturæ cognorit humanæ! Hocne eſt gigantum more cum Deo bellare, naturæ corruptæ repugnare? an gratię, qua natura reparatur atque corrigitur? Naturam primi parentis peccato vitiatam, quæ ſe à Deo duce ſuo, ac conditore abſtraxit, longiſsimeque abiecit in vitiorum omnium pręcipitia, pęnarumque ac ærumnarum diſcrimina, tanquam ducem optimam ſequamur? An non potius gratiam, quâ per Chriſtum inſtaurata eſt natura, ac cum Deo, quem offenderat, in priſtinam amicitiam, ac beneuolentiam reſtituta, cuius ope ac beneficio,

ficio, quas iuste promeriti eramus pænas, ac miserias, in magna meritorum lucra, gratiæque ac gloriæ cælestis incrementa conuertere licet? Si quo primum in statu condita est natura, iustitię atque innocentię permansisset, adhærens Deo sibique concors, ac pacata, cum corpus animo, animus Deo pareret, cum pars inferior superiori ad eius omne parata subesset obsequium, nec reluctaretur; tum illa forte dux ad Deum, adiuta diuinitus esse potuisset. At modo rebellis Deo, secumque pugnans, ac discors, cum nec ratio Deo, nec rationi pars inferior obtemperat, qui possit esse Dux, ac Magistra vitæ? Sanè mortem Deus non fecit, nec senectutem, quam rectè quispiam longam & lentam mortem dixerit, nec cæteras ærumnas in hanc vitam mortalem inuexit, sed peccando sibi, suæque
Psal. 48. v. 13. stirpi, primus parens arcessiuit. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Valde diuersi, sibique repugnantes sunt motus atque impetus Naturæ, & Gratiæ. Non est illa à Deo iam distracta, dux optima, quæ semetipsam semper quærit, in sese hæret, ac quiescit, amantissima sui semper, eoque amore excæcata turpiter ac infeliciter. Dux nobis ad Deum principium, ac finem nostrum, summum vnicumque bonum optima, gratia est, naturæ instauratrix, quæ cum cæteras ætates, tum præcipuè senectutem diuinæ illustrationis, & inspirationis immissis è cælo velut radijs illustret, accendat, inflammet, ad Deum trahat, atque annectat; quæ nos
rerum

rerum omnium terrenarum ac ſæculi huius expoliatos amore, in Deum transferat, eiuſque vnius amoris flammis incenſos in diuinam eius transformet ſpeciem, ac charitatem.

Fabula ſit humana vita. Sed ex diuina imprimis ope, quæ nunquam deeſt, tum ex noſtro quoque Deus arbitrio pendere voluit, comœdiane eſſet, an Tragedia: exitu læto an triſti, fælici an longe omnium luctuoſiſsimo. Etenim omnis hæc præſens vita mortalis ad alteram immortalem mox conſequuturam eſt referenda. Cum Deus hominem gloriæ ſuę cauſa condiderit, hominiſque ſalus ad Dei gloriam maxime pertineat, ita conſtituit, vt qui Deo conditori detuliſſet obſequium fidei, ſpei, charitatis, religionis, obſeruantiæ præceptorum, in hac breuiſsima vita: tranſlatus mox in alteram ſempiternam, illo perfrueretur, ac cæleſti donatus præmio ac regno, beatus efficeretur; Qui verò Dei ſui legem ac præcepta neglexiſſet, ac ſeſe vitijs contaminaſſet, in Tartarum, atque infernum diuinæ iuſtitiæ carcerem perpetuò cruciandus detruderetur. Ergo futuræ nos æternitati probamus, comparamus; ſementem hic facimus meritorum, vt illic meſſem præmiorum colligamus; hic militamus, illic triumphabimus; hic currimus, illic brauium ac coronam aſſequemur; ac quam perfectè hic Deo famulati fuerimus, tam illic eodem perfectè perfruemur, quæ eius maior eſt gloria cum noſtra ſalute ſemper, ac perfectione coniuncta. Pro menſura gratię, hic bonis

operibus

operibus comparatæ, Dei claræ visionis illic, & gloriæ merces ex æquo respondebit. Qualis omnino vita hæc præsens in Dei obsequio traducta desierit; talis inchoabitur immortalis altera, in Dei fruitione ac præmio repensanda. Hoc enim illud est in humana vita velut extremum, quod ad æternitatis beatæ fructum demetendum sit idoneum, vt in arborum baccis, terræque frugibus, maturitate tempestiua quasi vietum, & caducum. Id quibusdam in prima verni temporis suauitate; alijs, in æstatis & autumni velut cursu prouectiore, cæteris in brumali senectutis asperitate, contingit. Sed hoc interest, quod qui longius ętatem in Dei cultu ac famulatu produxerit, eo maiorem fructuum copiam, vberioremque bonorum operum segetem aggregarit. Quare Deo senectutis largitori magna habenda est gratia, neque molliter illa ferenda est, sed fortiter, sed constanter, sed feruenter alacriterque obeunda, velut in calce iam ac meta curriculi versantibus, velut in aditu atque ingressu cælestis regni prope constitutis. Cumque cæteræ partes ætatis, opitulante Deo, bene sint descriptæ, ac decursæ, elaborandum nobis est, ne senectutis extremum actum, velut inertes poëtæ neglexisse videamur; ne veluti longa emensa nauigatione, in ipsis optati portus faucibus naufragium faciamus.
Psa. 70. v. 17. 18. Precandus Deus, psalmistæ voce, *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua; & vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me,* & supra.

Ne proijcias me in tempore senectutis, cumdefecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Regrediamur ad Catonem. Aptissima omnino sunt arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum, quæ in ætate cultæ, cum multum diuque vixeris, mirificos adferunt fructus; non solum, quia nunquam deserunt, nec in extremo quidem tempore ætatis: quanquam id maximum est; verum etiam, quia conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima est. At magnopere verendum, ne superbiæ labem adspergat ea recordatio, ne velut immisso arrogantiæ toxico, præteritorum benefactorum laudem inficiat, mercedemque conuellat. Et quæ potest esse bene actæ vitæ conscientia, nisi Deo nitatur, nisi à Deo oriatur, in Deique cultum, & honorem referatur? Quæ possunt esse virtutes, quæ non à Deo velut prima origine dimanent, in Deumque velut vltimum scopum reuocentur? Itaque qui gloriatur, in Domino glorietur, qui lætatur non in se ipso, sed in Domino lætetur. Nam tametsi ipsa per se virtutum honestas, ac species expeti posse videatur; tamen extremus omnino finis suijpsius virtus esse non potest. Vt à Deo procedit, sic in Deum tendere debet omnis virtus, cuius ille fons est & merces, author idemque remunerator. Id honestum, id pulchrum est, id rectæ rationi congruens, cum se Deo conditori subdit homo, eiusque obsequio, ac gloriæ omnes suas artes, atque exercitationes virtutum transcribit, à quo fælicitatis

æternæ mercedem amplissimam est adepturus. Non deserunt eæ virtutum exercitationes, ne quidem in extremo tempore ætatis, nam tum vel maxime se exerunt, atque augescunt; sed non id maximum est: quid enim magnum quod breuis huius vitæ limitibus angustissimis coarctetur? Sed maximum est, quod ad beatam æternitatem promerendam, atque assequendam plurimum conferant, quod nec in ipsâ morte, nec à morte iam obitâ deserant. Inter omnes autem artes, suprema est, ars ex Christianis institutis bene viuendi, ac moriendi, ars bene se ad mortem comparandi, cuius potissimum vsus in senectute.

Virtutum Principes, Fides, Spes, Charitas, Religio, Pietas, obseruantia, ac gratitudo, aduersus Deum; erga proximum iustitia, & misericordia, charitatis beneuolentia, ac beneficentia; erga seipsum continentia, pænitentia, humilitas, & aliæ quarum ne vocabula quidem nota priscis Philosophis. Ac quemadmodum duæ sunt partes iustitiæ Christianæ, vna quâ declinamus malum, altera qua bonum præstamus, odientes malum, adhærentes bono; sic mihi duplici potissimum parte constare videtur omnis exercitatio virtutum, quæ in spiritali Christiana vita sit excolenda, Mortificatione, & Oratione; vt expurgatus animus, atque illustratus, Deo suo plenius, firmiusque adhærescat. Hæ profectus nostri spiritalis sunt artes, quibus expugnata sensuum, carnis, ac inferioris naturæ rebellione, ipsius quoque

propriæ

propriæ voluntatis, ac iudicij cuius ſumus omnes amantiſsimi, ac retinentiſsimi, ſtudium omne conferamus in augenda Dei conditoris noſtri cognitione, ac charitate ſanctiſsima; quibus artibus, ac ſtudijs ampliores quotidie progreſſus in amando, & cognoſcendo Deo, ſupremo bono noſtro, faciamus; futuram quodammodo beatitudinem æmulatione proxima prægustantes, & præoccupantes, Dei ipſius, ac Beatorum vitam cæleſtem, cum eius gratia, quoad huius vitæ mortalis conditio patitur, imitantes atque inchoantes.

Ad ſuperiores partes ætatis, maximè pertinet mortificatio, ſenſuumque, & iudicij, ac propriæ voluntatis expugnatio. Ad extremam ſenectutem, oratio, diuinaque charitate penitus incenſa contemplàtio; quæ ſane virtutes in ætate cultę mirificos adferunt fructus, quos in ſenectute, adeoque à morte, & in omni decerpas ac demetas æternitate. Sed hæc in mentem Catoni venire non potuerunt. Hæc igitur aptiſsima ſunt arma ſenectutis, contemplatio rerum diuinarum, ac cum Deo cęleſtibuſque familiaris conſuetudo, frequens oratio, Sacramentorum, Pænitentiæ præſertim, & Euchariſtiæ cum curà, & ſenſu pietatis vſurpatio. Et ſane quod ſenectuti præſtantius eſſe queat viaticum, atque præſidium, quam Diuina Euchariſtia, qua bonorum omnium copia atque affluentia continetur? Quem pæniteat multum diuque viuere, ſi poteſt hoc omni die diuinum vſurpare myſterium, ſi ſalutarem hoſtiam quotidie offerat ęternæ Trinitati, ſi ſpiritali fame preſſus, Angelorum

hac lautißima menſa reficiatur? Nempe hoc illud eſt nectar immortalitatis, hęc diuina ambroſia, qua iuuentus animi renouetur, & ſenectus omnis ac vetuſtas expellatur. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui renouat iuuentutem meam.* Pſ.42.v.4.

Amplißima ſunt arma ſenectutis, diuinæ litterę, velut à Patre cælitus miſſæ ad exules, ac peregrinos, ne nos patrię cęleſtis obliuio capiat, è quibus, quid à nobis ipſe requirat cæleſtis Pater, omnino diſcamus; quas iure merito S. Auguſtinus delitias, ac diuitias ſpiritus appellat; diuitias, ob plenitudinem, & copiam bonorum omnium, quibus inſtruimur atque erudimur ad omnem virtutem; delitias, ob incredibilem, quæ in eis latet, dulcedinem, eaque de cauſa vocat eas alibi de cæli melle melleas, & de Dei lumine luminoſas. (in Pſ.145. 9. conf.4. Ep.4.) *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terra purgatum ſeptuplum. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, dulciora ſuper mel & fauum.* (Pſ.11.v.7. Pſ.18.v.11) Sed ne longius à Catone digrediamur. Etenim cum complector animo, quatuor cauſas reperio, cur ſenectus miſera videatur; vnam, quod auocet à rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmum; tertiam, quod priuet omnibus fere voluptatibus; quartam quod haud procul abſit à morte: Earum ſi placet cauſarum, quanta, quamque ſit iuſta vnaquæque, videamus. Homini Chriſtiano earum quæque, ſingularis quædam ſenectutis prærogatiua, & ſupra cæteras ętates præcellentia, videbitur: ſi quemadmodum debet,

animi

animi sui potiorem semper, quam corporis rationem ducat. Philosophorum hoc erat fere dogma: Quemque animo hominem esse, non corpore, hoc hominis indumentum atque integumentum quoddam esse; negligendum, aut non magnopere percurandum. Quam in sententiam Socrates rogatus à Critone, Tuscul.1.
quemadmodum sepeliri vellet. Multam verò inquit, operam, amici, frustra consumpsi: Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neque quicquam mei relicturum. Verumtamen Crito si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, vt tibi videbitur, sepelito. Sed mihi crede nemo me vestrûm cum hinc excessero, consequetur. Percelebris & illa vulgata vox Anaxarchi, qui cum tempestate delatus in Cyprum à Nicocreonte Tyranno iussus est in mortarium conijci, ac ferreis pistillis contundi; sed infractus, aut verius animo tumens; Tunde, ait, Anaxarchi manticam, nam Anaxarchum non Laer.9.
percutis. Est ita sanè, animo constamus, & c.10.
corpore, animus pars longè est præcipua, ac potissima, cuius propriæ quædam sunt facultates, & functiones spiritales, corporis expertes, ab exteris sensibus minimè dependentes. Corpus pars deterior, ex pugnantibus humoribus, atque elementis compositum; quod sua sponte marcescit, atque ad interitum tendit, cuius organa, & vires omnes ipso temporis processu sensim imminuuntur, atque exhauriuntur. De quo rectè accipias, quod est apud Senecam: Meliora præteruo- Ep.9.
lant, deteriora succedunt. Quemadmodum

ex amphora primum quod sincerissimum est effluit, grauissimum quodque, turbidumque subsidit; sic in ętate nostra quod est optimum, primum est, id exhauriri in alijs potius patimur, vt nobis fæcem reseruemus. Inhęreat istud animo, & tanquam missum oraculo placeat. Optima quęque dies miseris mortalibus æui Prima fugit. Si corpus spectes, Senectutem, ætatis hyemem, vt extremam, ita vitæ partem deterrimam dixeris. Sed si spectes animum; eius portio superior, quę mens est, intelligendi vis, & res spiritales cęlestesque appetendi, si qua alia in ætate, in senectute præcipuè viget, atque efflorescit, præsertim si fide Christiana, ac Diuina luce sapientię cælitus collustretur. Quin verò & Seneca ausus est profiteri: Non sentio in animo ętatis iniuriam, cum sentiam in corpore,
Senec. ep. 26. tantum vitia & vitiorum ministeria senuerunt, viget animus, & gaudet, non multum sibi esse cum corpore, magnam partem oneris sui deposuit, exultat, & mihi facit controuersiam de senectute, hunc ait esse florem suum, credamus illi, bono suo vtatur. At quantò id verius dixerit Senex Christianus, diuina sapientia perfruens, corpore pridem mortificationis iugo prorsus edomito, ac compresso; Animo autem contemplationis, atque orationis diuinis radijs illustrato!

3. Reg. 1. Dauid annos natus septuaginta, bellicosus quondam vir, senectute frigescente, non poterat calefieri; quęritur itaque puella de vniuersis finibus Israel, Abisag Sunamitis, quę cum Rege dormiret, & senile corpus calefaceret.

ceret. Nonne tibi videtur, si occidentem sequaris litteram, vel figmentum esse de mimo, vel Atellanarum ludicra. Exponat sapientissimus Salomon Patris sui delitias, & pacificus bellatoris viri narret amplexus. Posside Sapientiã, posside intelligentiã. Ne obliuiscaris, & ne declinaueris à verbis oris mei. Neque derelinquas illam, & apprehendet te: ama illam, & seruabit te. Principiũ Sapiētiæ, posside sapientiã: & in õni possessione tua, posside intelligentiã, circũda illã, & exaltabit te: honora illam, & amplexabitur te. vt det capiti tuo coronam gratiarũ. Corona quoq; delitiarũ proteget te. Omnes pænè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapiētia, decrescunt cętera, ieiunia, vigiliæ, & eleemosynæ, chameuniæ, huc illucque discursus, peregrinorũ susceptio, defensio pauperum, instantia orationum, perseuerantia, visitatio languentium, labor manuum, vnde prębeantur eleemosynæ; &, ne sermonem longius protraham, cuncta, quæ per corpus exercentur, fracto corpore minora fiunt. Nec hoc dico, quod in iuuenibus, & adhuc solidioris ætatis, his dumtaxat, qui labore & ardentissimo studio, vitæ quoque sanctimonia, & orationis ad Dominum Iesum frequentia, scientiam consequuti sunt, frigeat sapientia, quæ in plærisque senibus ætate marcescit; sed quod adolescentia multa corporis bella sustineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, vt suum non possit explicare fulgorem. Senectus verò rursus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt,

Hiero. ad Nepotianum.

Prou. 4.

runt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Hæc, aliaque Hierony. qui de se sene, cano iam capite, & arata rugis fronte, & instar boum pendentibus à mento palearibus, cui frigidus obsistit circum præcordia sanguis &c. Amplexetur me, inquit, modò Sapientia, & Abisag nostra, quæ nunquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisque perpetuæ, & quę in similitudinem Mariæ, cum quotidie generet, semperque pariat, incorrupta est. Ex hoc igitur vno complexu Sapientię quantum senectus cæteris ætatibus antecellat, apertum est, ex eoque vno capite deduci potest haud obscurè, quam vnaquęque rationum earum, quas protulit Cato, non modò nulla vituperatio, sed eximia quædam sit laus, & commendatio senectutis. Auocat à rebus gerendis, quæ corpore administrantur, ac viribus, non quæ geruntur animo: corpus facit infirmum, sed animum valentem & sanum; priuat voluptatibus corporis, sed animi delitijs cumulat impensius: haud procul abest à morte, quæ dissolutio est à vinculis corporis, & ab ergastulo miseræ vitæ mortalis optatissima liberatio; Inde senectus gratior, quò morti propinquior, quæ velut è longa nauigatione terram adspicit, & multis iactata tempestatibus, denique in tranquillum salutis, ac beatæ portum æternitatis inuehitur. A rebus gerendis abstrahit senectus. Quibus? An *ijs*, quæ iuuentute geruntur, & viribus? Nullæ

igitur

igitur res seniles sunt, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihilne agebant Apostolorum Principes, Petrus & Paulus, cæterique primi fidei nostræ satores & fundatores Ecclesiæ, dum per vniuersum orbem Euangelij lucem inferebant, dum quamplurimis terra marique susceptis peregrinationibus, laboribusque exantlatis innumeras nationes, locis disiunctissimas, ingenijs diuersissimas ac moribus propemodum efferatas, peragrarunt, & ad Ecclesię caulas perduxerunt? *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Psal. 18. v. 5. Seniorem se Petrus gloriatur, atque ab ætate authoritatem sibi conciliat; *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator*. 1. Petri 5. v. 1. Paulus quoque Philemoni, cum posset imperare, pro Onesimo seruo fugitiuo, supplex; *Propter charitatem magis obsecro*, ait, *cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi*. vers. 9.

Nihilne agebat, quam honoris causâ primo oportuit loco nominari, vt omnium ætatum, ita senectutis eximia Princeps ac Patrona, Virgo Deipara, quæ annũ ætatis septuagesimum primum, aut septuagesimum secundum, à Christi filij in cælos ascensu vigesimum tertium attigit, adeoque expleuit: dum Apostolorum Magistra, Martyrum exhortatrix, Confessorum ac Virginum exemplar, ac præsidium singulare, omnium primitiuorum fidelium Mater ac nutrix extitit amantissima, custosque fidissima; nihilne contulit

opis Ecclesiæ nascenti? Nihil profuit assiduis apud Deum filium precibus, ac in dies cumulatiore sempermensurâ meritis augescentibus; apud fideles exemplis, monitionibus, ac cohortationibus, ab incensissimâ charitate profectis? Ac, vt de cæteris taceam, Ioannes Senior; Sic enim se appellat, cum Electæ Dominę, & Caio discipulo scribit, vtrique, & filio & Matri percharus discipulus, qui totas Asiæ fundauit ac rexit Ecclesias, ac nouissimus Euangelium scripsit, ad Christi maximè confirmandam Deitatem, intonans illud; *In Principio erat Verbum, &c.* Quod obtupescant, nec assequantur vnquam Platonici; tum relegatus in Insulam Patmos Apocalypsim infinita futurorum mysteria, tot scita, quot verba continentem adiecit; an otiosam & inertem traduxit senectutem, sexagesimo demum post Christi passionem anno defunctus?

Ex com. Hiero. in ep. ad Gal. l. 3. c. 6.

Cum Ephesi moraretur, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc; Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli, & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est, &, si solum fiat, sufficit. O præclaram, & breuem grandæui cuiusque senis orationem; diligite alterutrum, diligamus inuicem! Metuebat Cato, ne orator senectute languesceret. Etenim munus, id est, non

non ingenij tantùm, sed laterum etiam & virium; At, si non in publicis, in priuatis certè congressibus senex iam amissâ voce, ad mutuam fraternamque charitatem cohortari potest, exempla prioris ætatis, & ad omnem virtutem documenta proferre potest; Scribendo certè posteritati prodesse potest. D. Lucas Euangelista, Medicus Antiochensis, Græci sermonis peritissimus, vt à S. Paulo ac cæteris Apostolis didicerat, Euangelium scripsit, & acta Apostolum vsque ad biennium Pauli Romæ commorantis, quem si Medicum memineris, ait Hieronymus, aduertes omnia verba illius animæ languentis esse medicinam. Duos sanè scripsit medicos libros plenissimos documentorum & exemplorum, quibus ægrę percurentur animæ, & sanæ corroborentur. Vixit cælebs annos octoginta quatuor, quæ prouectæ senectutis vltima meta propemodum esse solet.

Ac quemadmodum primis humani generis progenitoribus, ac propagatoribus, eo fine longiora vitæ spatia prorogata sunt, sic Apostolis, Apostolicisque viris ad Euangelicam fidem toto orbe disseminandam, Ecclesiamque fundandam prouectior ætas, ac senectus indulta est. Quam multos commemorare possum Ecclesiarum Antistites grandæuos senes, aut Religiosarum familiarum Fundatores ac moderatores, qui ab earum curâ, ac prouidentissimâ, subditis maximè salutari administratione, per vltimam ætatem, ac senectutem nihil sunt impediti; imò, cum per eam rerum vsus, ac prudentia, authoritasque accederet,

plurimum sunt adiuti?

Nec dissita nobis, aut externa petenda sunt exempla, cum ad te oculos obuertimus, Amplissime Præsul, qui hac ætate non vnius modò celebratissimi Monasterij Sancti Vedasti, sed cæterorum omnium exemptorum in Belgio, ac Sanctissimæ Sedi Apostolicæ proximè subiectorum summam Præfecturam geris summâ omnium Religiosorum approbatione, atque vtilitate spiritali. Possem hîc, nisi me meus pudor, & tua etiam magis inhiberet modestia singularis, res tuas præclarè gestas commemorare, quibus tuam hanc extremam senectutem non inertem atque otiosam, sed priuatis, publicisque grauissimis occupatam negotijs, ijs explicandis, & ad optatum perducendis exitum parem atque idoneam maximè demonstrasti. Quòd Vedastina familia tua optimis ad omnem virtutem stabilita sit institutis, abundetque Religiosis omni, non modò doctrinæ, verùm & sanctitatis laude florentibus, tuæ potissimum curæ, industriæ, diligentię, & prudentiæ senili est adscribendum. Liberalitatem quoque senilem, ac munificentiam prædicabunt exstructa, ac fundata Collegia, Vedastinum, Duacense, & Atrebatense Societatis IESV, commodissimis ædibus vtrumque, & verè Regiâ instructum Basilicâ.

Iam quod afflictissimę Patriæ nostræ Belgicę defuisti nunquam in Orthodoxâ Religione, & fide, quam debet Regi suo tuendâ; Quod omni eam ope subleuasti, confirmasti, recreasti; Quod operâ, consilio, prouidentiâ, rebus in omnibus dubijs adfuisti triginta iam

& amplius

& amplius annos Illustrium Arthesiæ Ordinum Princeps ac primus delegatus, quas ob res Consilij sui priuati Præsidem te non semel designarat Serenissimus Albertus, nisi religiosam quietem, ac solitudinem anteposuisses; Quod septimum iam mensem in Batauorum animis conciliandis, pace vel inducijs firmandis incredibili animi magnitudine, constantiâ, prudentiâ, dexteritate vires omnes tuæ laudatissimæ senectutis impendis; Quod ab tuis abesse te tamdiu pateris, totque molestissimos exhauris labores vnius boni publici causâ, nulla vnquam posterorum conticescet ætas. Sed has ego laudes inuoluo silentio, quod te his magis flagellari, ac cruciari, quam delectari sciam. Alia igitur exempla producamus.

Cùm mortem iam proximam operiente S. Ambrosio, de futuro successore clam inter se susurrarent Clerici, ac Simpliciani, sed valde senis meminissent, exclamauit Ambrosius moriens; Senex, sed bonus: impedimento senectutem esse non debere demonstrans. Idem Ambrosius: Quid naturam accusas, ô homo? Habet illa velut impedimenta quædam senectutem & infirmitatem, sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consilijs subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior, infirmitas corporis sobrietas mentis est. Quis vel vnius Athanasij, Patriarchæ Alexandr. diuinam prudentiam, constantiam, patientiam, fortitudinem, perseuerantiam dignè deprædicet, qui summo Ecclesiæ bono, tot

1. Hexam.

inter

inter Arianorum infensissimorum persequutiones ad extremam vsque se seruauit ætatem, qui Nicęnæ fidei veritatem aduersus tot insidias ac technas calumniatorum & hostium, tot Imperatorum vim atque potentiam, tot annos vnus prope sustinuit; quas res ille non præclarè gessit, non ætate ac viribus, sed animi consilio, patientiâ, ac constantiâ? Quâ in fide tuendâ plurimum quoque senex Osius Cordubensis (nam centesimum superauit annum) adlaborarat; sed denique nimium amãs sui sepulchri, corporis sui, in Arianorum partes pertrahi se passus est. Nihil igitur afferunt, qui in re gerendâ versari senectutem negant, similesque sunt, vt si qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cum alij malos scandant, alij per foros cursitent, alij sentinam exhauriant; ille autem clauum tenens sedeat in puppi quietus. Non facit ea quæ iuuenes, at verò multò maiora, & meliora facit: non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, & authoritate, & sententia, quibus non modò non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Adijce, vt Christiano loquamur orę, res magnas geri Diuinâ ope per assiduas preces imploratâ, cælitus inuocato, ac deducto Diuinę gratiæ præsidio, sine quo frustra nititur omnis humana cura, diligentia, atque industria. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Ps. 126. v. 1. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Agedum, id omninò demus, quod minimè dandum ratio

atque

atque experientia commonstrat: id tamen demus, senectutem auocare nos ab omni re gerendâ, ab omni curâ & administratione rei tum publicæ, tum priuatę: idque vnum seni relinquamus, vt Deum continenter precetur, orando Deo, contemplando, ac diligendo perpetuò vacet; an non id eximium est eius ætatis beneficium? An non præstans negotium, cæleste ac diuinum, in quo omnis ætas, sed præcipuè senectus occupetur? Demus hoc otium seni, quod potest huic otio negotium anteferri, aut omnino comparari? Negotium negotiorum, appellat Bernardus, Sabbathum delicatum, quod sex dies antecedentium ætatum actuosæ vitæ consequatur; silentium, quod mediâ horâ fit in cælo; Nam rara hora, & breuis mora, interior eremus, ac solitudo, quâ Deus intra cordis penetrale circumferatur, requies ac refectio mentis, sobria ebrietas de fonte vitę, somnus animæ languentis amore Diuino, denique mors, & sepulchrum. Mors duplex, authore eodem S. Bernardo, Hominum, cum quis cupiditatibus pridem compressis emoritur; Angelorum, cum etiam similitudinibus rerum corporearum exuitur: sepulchrum, quod sibi senes effodiant. *Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer cùm inuenerint sepulchrum*. Si cum Deo nobis versandū est, aut cum proximo, cum Deo certè potius: id enim & dignius, & vtilius, & omnino iucundius. Vt amor Dei superat, generatque ex se amorem proximi, sic contemplatio longo spatio vincit, & ex se tamen progignit

Iob. 3. v. 21.

gignit actionem, quâ proximus adiuuetur. Non potest senex operibus se misericordiæ corporalis impendere; at spiritalis semper potest, quæ tantò suntillis præstantiora, quantò animus corpore præcellit. Sufficit seni Deus, præter quem nihil omnino sufficit. *Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde!* Dicat exercitatus in spiritu senex: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Bonum mihi est huic studio diuini cultus omnem ætatem reliquam, ac senectutis omne momentum transcribere, vt quod superest in Deo vno viuam ac moriar. Amen.

Psa. 72. v. 1.

At memoria minuitur in senibus; Credo, nisi exerceas eam, aut si sis naturâ tardior: nec verò quemquam senum audiui oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia quæ curant, meminerunt. Manent ingenia senibus, modò permaneat studium, & industria. Rectissimè sanè; modò permaneat studium & industria: Nihil enim magis cauendum est senectuti, quàm ne se languori, desidiæque dedat, ne sit iners, somniculosa, ac torpida, sed operosa semper, & aliquid agens ac moliens, tale scilicet quale cuiusque studium in superiore vitâ fuit. Nullo non die psalmum aliquem condiscat, atque vsurpet memoria; quod de Cardinale Sirleto ferunt, priusquam domo progrederetur; aut alium scripturæ locum commemorando pertractet, quotidieque addiscat aliquid, vt Solonem in versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dicit. Catonis ipsius exemplum sequatur, qui Pythagoræorum more, exercendæ memoriæ

moriæ gratiâ, quęcumque dixerat, audiuerat, egerat, commemorabat vespere. Quod Deo reddendæ rationis gratiâ, duplex vsurpamus examen, meridie ac vespere, non mediocriter senilem quoque memoriam excitabit, ac confirmabit.

Memoriæ defectum non adeo deplorarim in senectute, si quod contigit Beato Hugoni Episcopo Gratianopolitano, alijsque nõnullis superiore sæculo, rerum externarum, ac sæcularium imagines dumtaxat obliterentur, non æquè species rerum spiritalium, ac diuinarum confundantur. De Beato Hugone sic memorat Guido Carthusiæ Prior celebratus epistolis S. Bernardi, qui vitam Sancti Hugonis iussu Papæ Innocentij secundi perscripsit: Per extremæ infirmitatis violentiam deletâ, vel perturbatâ pęne totâ memoriâ in eâ dumtaxat parte, quæ bonis malisque communis est, & bonis ad bonos, malis ad malos indifferenter vsus deseruit, localium, & temporalium rerum continens formas; Eâ ergo memoriæ parte obliteratâ, siue confusâ, pars illa, quæ veritatis, ac iustitiæ, totiusque diuini cultus impressa litteris in hominibus sanctis, & Angelis, pietatis tantùm congruit actibus, non solum æquè vt prius, verùm etiam interdum constantior, feruentiorque innotuit. Quam rem, sanè stupendam, miraculo putat adscribendam hic author. Obijt S. Hugo propemodum octogenarius, & parentem suum, quem ad Carthusiæ perduxerat institutum, in quo decem & octo perseuerauit annos, ferè centenarium extulit.

Aptiſsimè Cato, cum de curanda valetudine tractat (qui locus erat alter de vitijs ſenectutis.) Nihil mirum in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cum ne id quidem adoleſcentes effugere poſsint, ſed reſiſtendum eſt, inquit, ſenectuti, & eius vitia diligentia curanda ſunt, pugnandum, tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem; habenda ratio valetudinis, vtendum exercitationibus modicis, tantùm cibi, & potionis adhibendum: vt reficiantur vires, non opprimantur. Neque verò corpori ſolùm ſubueniendum eſt. ſed etiam menti, atque animo multò magis: Nam hæc quoque, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguntur ſenectute, & corpora quidem exercitationum defatigatione ingraueſcunt: animi autē ſe exercitando leuantur; Nam quos ait Cæcilius comicus ſtultos ſenes, hos ſignificat credulos, obliuioſos, diſſolutos; quæ vitia ſunt non ſenectutis, ſed inertis, ignauæ, ſomniculoſæ ſenectutis. Vt petulantia, vt libido magis eſt adoleſcentum quàm ſenum, nec tamen omnium adoleſcentum, ſed non proborum; ſic iſta ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum leuium eſt, non omnium.

Deſiderantur itaque vires ex corporis in ſenibus, eaque valetudo ſufficit, quę ad explendum munus officij, ac vitæ ſatis eſſe queat. Vt adoleſcens vires tauri, atque elephantis non deſiderat; ita neque ſenex adoleſcentis. Non ſe corporis, ſed animi viribus tuetur ſenex; ſit licet imbecillum, ac morbis fractum, debilitatumque corpus, dum integra mens

mens ac ratio vigebit, corpore ſenex eſſe poterit, animo nunquã erit. Et ſanè quis non malit ingenij vires ſibi quàm corporis dari, atque acreſcere? Atque ita vſu venit interdum, vt imminutis corporis viribus augeantur animi, & quemadmodum in ſtaterâ dum deprimitur altera lanx, erigitur altera; ita dum corpus fatiſcit, ac deficit in ſenectute, erigit ſe, & ad ſibi cognatas res ſpiritales animus extendit, dum à concretione corporis ſeiungit ſe, ac ſpiritalis totus efficitur; pleniùs quoque diuina luce colluſtratur, dum nullâ corporearum rerum densâ nube velut obfuſcatur. Poteſt exercitatio, & temperantia in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris. Eſt in nonnullis firma, conſtans, viridiſque ſenectus; ſed eſto ſit imbecillis, & ægra; adſit modò moderatio virium, & tantum quantum quiſque poteſt nitatur. Quod enim homini naturaliter inſitum eſt, eo decet vti, & quicquid agas, agere pro viribus. Certus eſt curſus ętatis, & via vna naturę, eaque ſimplex, ſua cuique parti ætatis tempeſtiuitas eſt data: Vt enim infirmitas eſt puerorum, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam conſtantis ętatis; ſic ſenectutis maturitas, naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat.

An ne eas quidem vires ſenectuti relinquemus, vt adoleſcentulos doceat, & ad omne officij munus inſtruat atque inſtituat, quo quidem opere quid poteſt eſſe præclarius? Nunquam non enim, qui plurimum vſu atque experientia valent, bonarum artium, ac virtutum habendi ſunt Magiſtri; quamuis conſenuerint

ſenuerint vires, atque defecerint. Atque vt adoleſcentem eum laudamus, in quo ſit aliquid ſenile; ſic ſenem, in quo adoleſcentis eſt aliquid, qui adoleſcentibus bonâ indole prẹditis delectetur, cuius prẹceptis gaudeant adoleſcentes, monitis atque exemplis ad virtutum ſtudia ducantur & incitentur. Ad vltimam iam, & decrepitam propemodum ætatem peruenerat Hieronymus, vt ipſe de ſe ad S. Auguſtinum teſtatur; Me autem ætatis vltimæ, & pęne decrepitum, ac monaſterij, ac ruris ſecreta ſectantem paruipendunt; Et tamen exhauſto ieiunijs, vigilijs, ac morbis corpuſculo, ſupplente quod corpori deerat animo vigente, non ſolum in Hæreticis inſectandis, ſacrarumque litterarum commentarijs elucubrandis, elaborabat; Sed in conuentu quoque fratrum Bethleemitici Monaſterij Bibliorum libros à Septuaginta verſos exponebat: Egóne, inquit, aduerſus Ruffinum, contra Septuaginta interpretes aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſsimè emendatos meę linguæ ſtudioſis dedi, quos quotidie in conuentu fratrum edisſero quorum pſalmos iugi meditatione decanto? Ruffinus Grammatici eum vſum officio, & ante non multos annos nobilium pueros ſibi ad diſcendum Chriſti timorem commiſſos, humanioribus poëtarum, & Hiſtoricorum litteris imbuiſſe criminabatur, quaſi probroſum crimen, & non immenſa ſit ea laus, vnà cum Chriſtianæ religionis rudimentis, litteras humaniores illi ætati neceſſarias tradidiſſe. Me ſanè delectat ſæpius lecta

Ep. 26.

l. 2. contra Ruffinum.

2. Inuect.

lecta D. Hieronymi de Pacatulę infantulę educatione ad Gaudentium epistola, & extrema illa clausula ad Lętam de Paulâ filiolâ. Ipse, si Paulam miseris, & Magistrum me, & nutritium spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed Ancillam & Sponsam Christi erudiam, Regnis Cælestibus offerendam.

Ad Paulum Concordiensem; misimus interim te tibi, Paulo seni, Paulum seniorem. Concordiensis centesimum agebat annum, Paulus senior Anachoretarum Princeps, centesimum decimum tertium, cum ab Antonio nonagenario, diuino monitu, atque impulsu est visitatus; cuius vtriusque senis sanctissimi in summa abstinentia, & austeritate vltra centesimum annum vita producta (nam & Antonius centesimum quintum attigit) morborum, quod sciamus, & ægritudinum expers; non illis obnoxiam semper esse senectutem, clarè demonstrat. Humanæ vitæ breuitas, ait Hieronymus, (adde quæ breuitatem eam aduehit corporis imbecillitas,) damnatio est delictorum; atque in peccatorum pænam, quotidie vires acciduntur, ac pręmaturæ morti præda velut obijcimur. Ipsa defectio virium adolescentiæ vitijs efficitur sæpius, quàm senectutis: libidinosa enim, & intemperans adolescentia effætum corpus tradit senectuti. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.

Commemoranda quoque Ioiadæ Pontificis senectus. *Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cum esset centum triginta*
2.Paral. 24 v. 15. *annorum*. Qui postquam, obijt delinito Rege Principum obsequijs, pessum abijt Respublica. Huiusmodi florentem, atque integram senectutem dignis laudibus effert, in Paulo Concordiensi Hieron. Ecce iam centenus ętatis circuitus voluitur, & tu semper præcepta Domini custodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla, meditaris. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum. Cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt, non memoriæ tenacitatem, vt in plærisque cernimus, antiquior senecta dissoluit; non calidi acumen ingenij frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons exasperat, non denique tremula manus per curuos ceræ tramites errantem stylum ducit, futuræ nobis resurrectionis virorem, in te Dominus ostendit, vt peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne: iustitiæ, quod tu adolescentiam in alienâ ætate mentiris; Et quanquam multis illam corporis sanitatem, etiam peccatoribus, euenire videamus; tamen illis Diabolus ministrat, vt peccent; tibi Dominus præstat, vt gaudeas.

Hæc senectæ viridis encomia totidem prope verbis ad te transcribi posint, Amplissime Domine, si vnam, qua subinde tentaris, podagræ excipias ægritudinem, de qua quidem

dem quid attinet inquirere, quanam ex causa potissimum oriatur? an ex tuorum progenitorum quadam velut hæreditaria transfusione? an ex ætatis & naturæ prope fatiscentis infirmitate? an ex curarum, molestiarumque difficultate, ex qua redduntur humores acriores? Ex intemperantia certè victus, ut aliarum voluptatum immoderatione certissimum habent non nasci, qui quotidianum tuum ieiunium, tot iam annos abstinentiam ab omni cœna nouerunt.

Hoc eodem podagræ morbo vehementer se afflictatum, cum nihil interea publicorum intermitteret negotiorum, quibus vniuersam administrabat Ecclesiam, scribit Gregorius Magnus Pontifex ad Secundinum Abbatem, & ad Sanctum Leandrum Episcopum Hispalensem, qui & ea dem ipse podagra laborabat. Certè, inquit Baronius, si numerandos suscipias viros sanctitate celebres, qui podagræ morbo sunt afflictati, copiosum conficies catalogum, quo redarguas eos, qui voluptuosos ex podagræ doloribus arguant homines. Ad Italicam Patriciam ita Gregorius: Peccatis meis exigentibus ecce iam vndecim menses sunt, quod valde rarum est, si de lecto surgere aliquando potuero, vt vita mea mihi grauissima pœna sit. Quotidie in dolore deficio, & mortis remedium exspectando suspiro. Perseuerauit ea ægritudo ad biennium vsque, vt scribit ad Eulogium Alexandrinum Episcopum: Ecce iam biennium pænè expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis vsque ad hora-

l. 7. ep. 57. indict. 2.

Ep. 125.

Bar. Ad an. 599.

127.

l. 8. ep. 35. indict. 1.

rum trium spatium surgere valeam, Missarumque solennia celebrare; Mox autem cum graui compellor dolore decumbere, vt cruciatum meum posſim interrumpente gemitu tolerare: Qui dolor mihi interdum lentus eſt, interdum nimius; ſed neque ita lentus, vt recedat; neq. ita nimius, vt interficiat; vnde fit, vt qui quotidie in morte ſim, quotidie repellar à morte, nec mirum qui peccator grauis talis corruptionis carcere diu teneor incluſus, vnde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Quod nihil interea Gregorius Magnus paſtoralis ſuæ curæ negotiorum remiſerit, ex eo perſpicuum eſt, quod nullus ſit annus, quo maiora pertractata negotia, vel plures ab eo ſcriptæ repeꝛiantur epiſtolæ, vt eundem cernere eſſet & affixum lecto, & velut alitem cæleſtem epiſtolarum pennis toto velut orbe volitantem.

Quare habes, Admodum Reuerende Domine, cum te podagra diuexat, quo te ſoleris, quemque inuoces ad eam mitigandam optimum Patronum, Gregorium verè Magnum incomparabilem Pontificem; Cuius honori & cultui religioſo quàm ſis addictus, ampliſſimum Duaci Collegium Gregorianum apud omnem poſteritatem eloquetur. Cæterum aduerſum te mitior ac benignior eſſe videtur podagra, quæ rarius affixum lecto diſtineat, rariuſque omnino per interualla recurrat, quam & productioris vitæ cauſam, & notam tibi eſſe vehementer optamus.

Occulta ſanè ſunt, ſed iuſtiſſima ſemper Dei iudicia, nec homini poteſt eſſe exploratum,

ratum, cur quibusdam interdum improbis intemperanter, atque impurè viuentibus, inter vina, ac scorta, prouectissimam ætatem tribuat, vt de Attila Hunnorum Rege ferunt crudelissimo, qui centum quatuor & viginti annos impleuit; multis verò piè temperanterque vitam agentibus, illam varijs morborum generibus affligat, & ante senectutem, maturamque adeo ætatem præcidat. Nimirum quæ sunt huius vitę temporaneæ bona caduca, opes, honores, voluptates, sanitatē, ac longam vitam non magni Deus æstimat, & infensis sibi sæpe largitur hostibus, quos in omnem æternitatem destinauit dirissimis Orci supplicijs, quos autem amat ac cælo pręparat Empyreo, ad tempus exercet, ac veluti compendio perficit, ipsum spiritalis exercitationis, ac probationis tempus abbreuians. Quamquam & in alijs sibi percharis, ad maius obsequium suum, meritorumque, gratiæ ac gloriæ eorum maius augmentum, longissimam vitam, ac senectutem plusquam decrepitam, animi semper sensibus integris, quandoque proroget, ac producat, vt in plærisque Anachoretis cernere est, quibus ad eam ipsam prouectam ætatem, mirè profuit innocentia vitę, passionum moderatio, voluptatum abstinentia, cibi potusque parsimonia, cælestium denique solatiorum copia: Nam *dulcedo animæ sanitas ossium.*

obijt. an. 445.

Prou. 16. 24.

Pachomius Abbas in Ægypto, ad annū centesimum decimum peruenisse dicitur. Ioannes Abbas Reomanensis, S. Alpherinus Abbas Canensis, prope Neapolim, ad centesimū vigesimum, quem etiam attigit S. Romualdus, &

centum ipsos in summa asperitate traduxit, vultu semper adeo læto, vt intuentes exhilararet, Paphnutius, Macharius, S. Franciscus de Paula, alijque quam plurimi nonagesimum excesserunt; Sed horum tamen, vt verum fateamur, præ senum imbecillium multitudine, longè minor est copia. Senectus ipsa per se morbus est, plurimis certè morbis obnoxia, & ad dissolutionem mortemque proxima præparatio, vt eam appellat Tullius in Topicis, occasus vitæ.

Quotusquisque est (vix singulis sæculis vnus alterve reperietur) qui centesimum attingat annum, aut cum attigerit, non se attigisse pęniteat? *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum*, ait Psaltes Regius, *septuaginta anni; Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor. Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur. Quis nouit potestatem iræ tuę, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Quandoque ex Diuinæ Clementiæ benignitate pręscinditur vita; quandoque ex Iustitiæ seueritate, vel ob adolescentiam iuuentutemque intemperanter exactam, vel ob aliorum peccatorum, quæ plurima semper admittimus, vindictam, ac pænam; vel ad patientiæ, cæterarumque virtutum exercitationem, meritorumque maius augmentum, ac cælestis gloriæ cumulum, ægritudines fere molestæ, ac diuturnæ mortem præcurrunt, & accelerato veluti gressu maturius aduehunt. Quare non ex eo capite quod crebrioribus morbis sit obnoxia senectus condemnanda est; quemadmo-

Psa. 89. v. 10. 11.

12.

admodum neque iuuentus, aut constans ætas imbecillior in quibusdam, minimeque homini Christiano morbus, & aduersa valetudo, in malis semper censeri debet; sed plerumque in bonis, æquè etiam, ac magis, quam sanitas, & prospera valetudo, si nimirum ęquè, ac magis ad extremi finis assequutionem conferat.

Dicere consueuerat, S. Pater Ignatius, morbum non minùs Dei donum esse, ac sanitatem, neque minus de morbo, quam de sanitate gratias Diuino Numini referēdas; cum vtrumque sit æquè Dei munus, & non raró, morbus languentes ac tepidos exsuscitet, & nouo quodam ardore compleat, adeoque etiam renitentes, concitatiore gressu virtutis ad Deum ire compellat. Hoc fręno Deus, animusque Deo sessore gaudens, corpus velut equum indomitum, atque efferatum regit atque compescit, ne in cœpto perfectionis itinere cæspitet atque exorbitet, ne torpeat obdormiens, ne lasciuiat atque recalcitret, his illud calcaribus ad accelerandum gradum exstimulat, his vrget ad beatæ vitæ metam incitatiore semper virtutum cursu prosequendam.

Mihi sanè morbus veluti nuntius quidam à Deo submissus, qui nos ad eum euocet, qui Diuino tribunali sistat, apparitor ac lictor Diuinæ Iustitiæ (quanquam non peremptoria, neque extrema semper ea citatio est, neque læthalis semper morbus) animo tamen gratissimo, ac lætissimo videri solet excipiendus. Est sanè nuntius, qui nos nostræ commonefaciat imbecillitatis, ac mortalitatis, qui

mortem ipsam proximè mox adfuturam prænunciet, ad eamque maiori cura, atque opera, & aucta virtutum exercitatione nos præparet. Si quando præceptum hoc Domini, de vigilijs, atque excubijs, ad eius aduentum habendis, magna cura est obseruandum; in senectute certè, vltima noctis vigilia, vltra quam eius aduentus minimè differetur, obseruandum est. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs.*

Luc. 12. v. 35.

Si prioribus vigilijs non venit Dominus, vltima certè senectutis adueniet, ac iam iam pre foribus esse putandus est. Pulsat autem fores Dominus, cum per ægritudinis molestias, mortem vicinam esse designat, cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Quò diuturnior est morbus, & grauior ægritudo, eò diutius ac vehementius pulsat Dominus, ac maiore cum patientia ad vitæ nos emendationem prouocat; Aperire iudici pulsanti non vult, vt sibi malè conscius in carcere reus, qui exire de corpore trepidat, & videre eum quem contempsisse se meminit, Iudicem formidat; Qui autem de sua spe, & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus iudicem sustinet, & cum tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloria retributionis hilarescit. O fælicem illum senem, qui per ægritudines, ac morbos corporis, ipsamque fatiscentem, ac quotidie morientem senectutem, ad Dominum aduenientem dignè excipiendum, Fide,

Greg. Hom. 13. in Euang.

Spe,

Spe, Charitate, omnique virtute se compararit, qui præcinctis continentia lumbis, & bonorum operum charitatis face succensa, vltrò prodierit obuiam, ad cęlestesque nuptias Agni lætissimus accelerarit, atque introierit.

Cæterùm qualem te inuenit Deus cum vocat, talem pariter & iudicat. Vbi te inuenero, ibi te iudicabo. Qualis exieris ex hac vita mortali, talis alteri redderis immortali. Quid verò stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat? dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis crescit, flatus grauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat? Homo interior, qui senescit, his omnibus aggrauatur, & hæc omnia ruituram iam domum corporis nostri citò prænuntiant.

Mors certè a senectute longius abesse non potest, meritoque laudatur illud Sanctæ Marcellæ responsum, cum eam Cerealis, cuius clarum est in Consulibus nomen, senex ambitiosius procaretur, suasque longæuus polliceretur diuitias, mandaretque & senes posse diu viuere, & iuuenes citò mori; eleganter lusit: Iuuenis quidem citò mori potest, sed senex diu viuere non potest. *Memento igitur Creatoris tui*, monet Ecclesiastes, *in diebus iuuentutis tua, antequam veniat tempus afflictionis, &* Eccle. 12. v. 1. &c.
appropin-

appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent: antequam tenebrescat sol, & luna, & stella, & reuertantur nubes post pluuiam: quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosa erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina: & claudent ostia in plateâ &c. Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis &c. Quæ perquam accommoda est senectutis ad mortem proximè vergentis descriptio; cum sol intellectus, luna phantasiæ & imaginationis, stellæ sensuum tum internorum, tum externorum tenebrescere incipiunt, cum pluuiarum nubes lacrymarum imbres crebriores ingerunt, cum augescit pituita, cum abundant catarrhi, cum tremunt ossa, labascunt tibiæ, dentes excidunt, obscurantur oculi, sensus omnes deficiunt, & difficulter suo munere singula membra defunguntur, breuiter cum vita deficit, & in mortem transit. Amygdalus canitiem adumbrat, Capparis concupiscentiam, quæ frigescit in senectute. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas;* Si ad æternitatis beatæ finem vltimum non referantur, vana sunt, & fine suo carent, ob quem erant à Deo condita. Vanissimus senex, qui iã corpore prope præmortuus non se ad huius assequutionem finis vltimi, studiumque virtutis, ac perfectionis, vel in extremâ compararit ætate, vt quò propius iam metam aspicit immortalitatis, ad illam non eò concitatiore gressu, cursuque feratur,

Verùm vt ad morbos reuertamur. Valent ad peccatorum exhauriendas reliquias, maculasque

lasque, ac pœnas eorum facilè, maturéque cum merito detergendas, quę post hanc vitam expiatorijs ignibus ad extremum vnguem vsque Diuinæ iustitiæ fuerant exsoluendæ; Quare morbi, genus quoddam sunt Purgatorij, compendiosum, ac perfacilè, non satisfactorium modò, verùm & meritorium, quo Diuina simul accrescat gratia, illique ex æquo post æternę gloriæ merces respondeat; quo ex vtroque capite, non facilè quis æstimarit, quantum sit in morbis lucri, ac compendij spiritalis.

Valent prætereà morbi ad Christo nos Duci nostro, ac capiti conformandos, vt quemadmodum ille per Crucem, & Passionem intrauit in gloriam suam; ita nobis in alienam, sed summo eius beneficio, ac merito communicatam gloriam cælestem, per ægritudinum cruces aditus pateat, atque introitus. Vt sanguinis effusione Martyres, corporis afflictatione ac maceratione Confessores, regnum sibi cæleste pepererunt; ita nos illud certè minimo dolorum ac morborum impendio comparare connenit, ac necesse est. Debent enim membra mystici corporis Christo capiti patienti esse conformia, ac consentanea.

Quod si morbi mortem accelerent, atque opinione maturius vitam eripiant, ijs etiam maior habenda est gratia, quod aliquando sęculi huius ac corporis vinculis exsolutos maturius ad Deum perducant, atque in beata collocent æternitate, quod omnem peccandi materiem, atque occasionem submoueant, optatissimumque, & in quo sunt omnia, perseueran-

seuerantiæ donum secum aduehant, quod extra periculum discrimenque salutis, in tuto securoque portu collocent, & quasi miseros vagosque exules in cælestem patriam celerrimo cursu perducant.

Neque verò tanti prorogationem vitæ, senectutisque lustra aliquot producta censuerim, modò nulla nostra interueniat culpa, vt religiosæ vitæ rigorem intermitti penitus, medicinasque exoticas pretij maioris conquiri, extraordinariamque adhiberi curationem velim; Qua in re, atque hac omni morborum tolerantia præluxit egregiè nobis B. Fulgentius, Ruspensis Episcopus, extrema qua defunctus est ægritudine. Quamquam ex quo se Religiosę vitæ professioni dediderat, omne tempus egerat in pænitentia, ac summa austeritate; tamen annum ante mortem ab Ecclesiasticis occupationibus, ac Monasterio suo, clam in Insulam Circinam secessit, ibique in breui scopulo, cui nomen Chilmi, multò amplius ac diligentius, inchoanti similis, auxit pænitentiæ ac mortificationis studium; coactus in vrbem regredi, breui post in grauissimam incidit febrim, acutissimosque dolores, quos septuaginta prope diebus continenter pertulit, illam precationem frequenter vsurpans: Domine, da mihi modò hîc patientiam, postea indulgentiam; neque eam intermittebat siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siue lassitudo dissolueret; persuadentibus Medicis vt lauacris, balnearibus vteretur. Nunquid balneę, inquit, facere poterunt ne homo mortalis, expleto vitæ suæ tempore, moriatur?

Apud Sur. 1. Ian.

tur? Si verò proximam mortem, hæc aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi, obsecro, persuadetis, vt rigorem diu seruatæ professionis in fine dissoluam? Quo in proposito perseuerans, cum iam imminentem mortem cerneret, erratorum veniam à fratribus ac domesticis, summa cum animi demissione, maximaque lacrymarum vi, petijt; ac pecuniam suam in pauperes, quos nominatim recitabat, expendi voluit, orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postridie Kalendas Ianuarias, post peractam vesperam, beatum spiritum fæliciter in manus Domini tradidit, annum agens Episcopatus sui vigesimum quintum, vitæ verò totius sexagesimum quintum; sicut multis ante fratribus indicauit. Moritur an. 529. vt not. Baro.

Hic sanè suauissimus Ecclesiæ Doctor, vires corporis in senectute non desiderabat, cuius ex ore melle dulcior profluebat oratio, atque vtinam magna pars eius sermonum, ac monumentorum non deperijsset! Extant aduersus Trasimundum Regem præclari eius libri, & alij de fide aduersus Arianos, sed homiliæ vix duæ tresve supersunt; quanquam inter varias occupationes, ait Author eius vitæ, plurimos sermones, qui in populis dicerentur, scribendos dictauit. Vbicumque sermonem faciebat, mulcebat animos omnium, non inanes & vanissimos plausus, sed compunctionem generans cordis; expectauit eum sanctæ memoriæ Bonifacius Carthaginensis, apud Burnos Ecclesiam dedicans, duobus diebus, se præ-

se præsente tractantem, quando tantum delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse terram lacrymis irrigaret, agens gratias Deo, cuius gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat, præclarosque Doctores. Hîc illud Catonis agnosco; omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute. Decorus est sermo senis quietus & remissus, facitque persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta oratio, & mitis.

Ad hoc idem argumentum pertinet præclara S. Hieronymi in secundum commentarium in Amos ad Pammachium præfatio, quâ senectutis commoda, atque incommoda expendit. Legi in quadam controuersiâ: Imbecillitas
2. Cor. 12. corporis animę quoque vires secum trahit. E contrario Paulus Apostolus: Quando infir-
Gal. 5. mor, inquit, tunc fortior sum: & Virtus in infirmitate perficitur. Spiritus enim contra carnem, & caro contra spiritum; hæc inuicem sibi aduersantur, ne quæ volumus, illa facia-
Matt. 26. mus. Vnde & in Euangelio dicitur: Spiritus promptus est, caro autem infirma. Senectus multa secum & bona affert & mala; Bona, quia nos ab impudentissimis Dominis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia, & frigescente corpore, dormit cum perpetuâ Virgine Sunamite: luxuriamque contemnens cum Berzellai, delegat eam
3. Reg. 1. filio adolescenti Camaham, & non vult trans-
2. Reg. 19. ire Iordanem, atque in alienos fines de suis finibus, id est regionibus, exire. Quæ autem

autem putantur senectutis mala, ista sunt: crebræ infirmitates, pituita molestissima; quam Græcorum alij κόρυζαν, alij φλέγμα nuncupant: caligantes oculi, acescentes cibi, tremens interdum manus, nudi gingiuis dentes, & inter cibos cadentes. Ad hæc torminibus, & aculeis stomachi, podagræque, & chiragræ doloribus sæpè torquetur, ita, vt ne stylum quidem, aut calamum tenere queat, vt suis pedibus non possit incedere, magnaque parte vitæ videatur esse truncata, & multis in membris præmortua. Cum hæc ita se habeant, in malorum comparatione, tolerabilius sustinebo morbos, dummodo vna, & grauissima Domina libidine caream. Patitur quidem & senectus nonnunquam incentiua vitiorum, nullusque, iuxta S. Martyrem Cyprianum, diu tutus est periculo proximus. Sed aliud est titillari, aliud obrui voluptatibus. Ibi cum Apostolo adolescentia loquitur, quæ nouit virentis corporis necessitates: Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio. Et miser ego homo, quis me liberabit &c. Hic autem raro inter emortuos cineres scintilla sublucens reuiuiscere nititur, & tamen incendia non potest suscitare. Quamobrem Pammachi, cano iam mecum capite, impetra mihi à Domino, vt comitem mihi merear habere Sapientiam, de qua scriptum est: Ama illam, & seruabit te: honora illam, & amplexabitur te: vt ipsa adiuuante & socia, cœptum in Amos opus expleam. Rom. 7.

Pridem & alibi caput suum canis aspersum memorat, quod & pileolo confouebat, de

quo ad Paulinum gratias agens: Pileolum textura breue, charitate latissimum, senili capiti confouendo libenter accepi, & munere, & muneris authore lętatus. Idem se iam laborem propria scribendi manu ait ferre non valere. De caligantibus etiam oculis aliquid Isaac patientibus conqueritur, animo tamen semper infracto fuit, neque vnquam commentandi Sacras Litteras, Hæreticosque insectandi studium suum acerrimum intermisit.

Consimilem egit senectutem, morbis, & studijs exercitam, consimilis illi, & par sanctitate, doctrina, nominisque celebritate Doctor Ecclesiæ Sanctus Augustinus, de quo vitæ eius Scriptor Posidius: Vixit Augustinus annis septuaginta sex (quæ prouectæ senectutis ætas est) in Clericatu autem, vel Episcopatu annis ferme quadraginta. Verbum Dei vsque ad ipsam suam extremam ægritudinem impræ-termissè, alacriter, & fortiter, sana mente, sanoque consilio in Ecclesia prædicauit. Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus & charus Sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, rectæ ac sanæ Fidei, Spei, & Charitatis, Catholicę Ecclesiæ vixisse manifestatur; quod agnoscunt, qui eundem de Diuinis scribentem legentes proficiunt; Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum & loquentem in Ecclesia præsentem audire, & videre potuerunt, & eius præsertim inter homines conuersationem non ignora-
Matth. 13. uerunt. Erat enim non solum eruditus scriba in Regno Cælorum, de thesauro suo pro-
ferens

ferens noua & vetera, & vnus negotiatorum, qui inuentam pretiosam margaritam, quę habebat venditis, comparauit; verum etiam ex ijs ad quos scriptum est: Sic loquimini, & sic facite: & de quibus Saluator dicit: Qui fecerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Iac.2. Matt.5.

Dum sibi Presbyterum Eradium de Cleri populique consensu successorem designat in gestis Ecclesiasticis, quæ in suos annales retulit Baron. sic exorsus est. Omnes in hac vitâ mortales sumus, & dies huius vitæ vltimus omni homini est semper incertus: verùntamen in infantiâ speratur pueritia, & in pueritiâ speratur adolescentia, & in adolescentiâ speratur iuuentus & in iuuentute speratur grauitas, & in grauitate speratur senectus: vtrum contingat, incertum est; est tamen quod speretur; senectus autem aliam ætatem quam speret, non habet: incertum est enim ipsa senectus quamdiu sit homini; illud tamen certum est, nullam remanere ętatem, quę posit succedere senectuti. Bar. ad an. Chri.426. fol.494.

Cur autem in successorem designatum vellet refundere onera occupationum suarum, illam affert causam, vt quantumcumque, inquit, spatium mihi huius vitę donauerit Deus, ipsam meam quantulamcumque vitam non dem segnitiei, neque donem inertiæ, sed in sanctis scripturis, quantum ipse permittit, & largitur, exerceam. Hoc & ipsi proderit, & per ipsum etiam vobis. Nemo ergo inuideat otio meo, quod magnum habet nego- fol.496.

 tium

fol. 495. tium. Magnum hoc in otio negotium erat, de quo proximè supra: Placuit mihi, & vobis propter curam scripturarum, quam mihi Patres, & fratres mei Coepiscopi duobus Concilijs Numidiæ, & Carthaginis imponere dignati sunt, vt per quinque dies nemo mihi molestus esset, quod tamen seruatum non est. Magnum negotium, de quo ad Marcellinum epistolâ 7. Si mihi Deus quod volo præstiterit, vt omnium librorum meorum quęcumque mihi rectissimè displicent, opere aliquo ad hoc ipsum instituto, colligam atque demonstrem, tunc videbunt omnes homines, quàm non sim acceptor personæ meæ. Magnum denique negotium aliæ scriptiones, tum aduersus Iulianum, qui præter quatuor libros, quibus iam à S. Augustino responsum erat, octo alios ediderat; è quibus Alypius quinque Româ transmiserat, cuius instantiâ, inquit, coactus sum remissius agere quod agebam, vt operi vtrique non deessem, vni diebus, alteri noctibus, quando mihi ab alijs occupationibus, hinc atque inde venire non desistentibus, parceretur; tum aduersus obiectiones Gallorum quorumdam, quas ad eum detulerant Prosper, & Hilarius; quibus vt satisfaceret duos scripsit libros præstantissimos, vnum de prædestinatione Sanctorum, alterum de bono perseuerantię.

Vt autem tradit Prosper in Chronico, moritur 5. Kalend. Septembris, septem libris Iuliani inter impetum obsidentium VVandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosâ in confessione Christianę gratiæ perseue-

perseuerans. Fuisse verò illum multis morbis obnoxium, ex varijs eius epistolis colligitur; 13. ad suos, dum ob minus idoneam valetudinem ab Episcopis excusari se scribit, quò minus, vt alijs, transmarinæ legationes ei à Synodis iniungerentur. 27. ad Victorinum, 149. ad Profuturum. 56. ad Dioscorum. 262. ad Diarium. 251. ad Nobilium. Baron. ad ann. 430. fol. 551. Satis erat hoc exemplorum; sed quia consimilis prope cursus ætatis, ac studiorum fuit duorum S. Aug. illustrium Imitatorum, Bedæ Presbyteri, & Alcuini, Imperatoris, vt aiunt, Caroli magni Præceptoris, aut certè familiaris; ad cumulum, duo hæc quoque præclara lumina Ordinis tui, & Sacræ Religiosæ familiæ Benedictæ si accesserint ad illustrandam piam, doctam, in otio litterario traductam senectutem, non grauatè, opinor, accipies.

Bedam Presbyterum ad annum vsque centesimum quintum, aut etiam centesimum trigesimum peruenisse, ex eius scriptis conficere quidam enituntur; septuagenario certè maiorem obijsse non dubium est, cum septennis in Monasterij SS. Apostolorum Petri & Pauli disciplinam traditus esset sub Abbate Benedicto, initiatus diaconatu decimo nono ætatis anno, Presbyteratu trigesimo. Surius.

Nihil illi fuit dulcius, quàm in sacris litteris discendis, aut edocendis versari; Aut scribendo, aut docendo, aut orando, tempus omne consumpsit ætatis. Cumque ad extremum iam peruenisset, continuis septem hebdomadibus, ante diem festum Ascensionis, quo

sanctissimè expirauit, totus erat in tradendis prælectionibus Auditoribus suis, aut in psalmodiâ, & gratiarum actione, quam profusis lacrymis vix vnquam intermittebat; crebrius illud decantans; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; & Antiphonam illam, tempori congruentem: O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos &c. Ad quę verba largissimæ fluebant lacrymæ, ad quas & suos excitabat Auditores. Gratias Deo referebat, quod sic meruisset infirmari, stomachi dolore, & angusti, creberrimique anhelitus, oppressus, & sępe dicebat: Flagellat Deus omnem filium quem recipit: Et sententiam Ambrosij: Non sic vixi inter
Prou. 3. vos, vt me pudeat viuere, sed nec mori timeo, quia bonum dominum habemus.

Sed de prælectionibus audiamus eius discipulum, etsi prolixior aliquantò est epistola, quâ fœlicem mortem describit; tamen ipsâ sinceritate, & eximia pietate delectabit. In istis diebus duo opuscula memorię digna, exceptis lectionibus, quas quotidie accepimus ab eo, & cantum psalmorum facere studuit: id est; A capite Euangelij S. Ioannis vsque ad eum locum, in quo dicitur; Sed hæc quid sunt inter tantos? in nostram linguam, ad vtilitatem Ecclesiæ conuertit: & de libris Isidori Episcopi exceptiones quasdam, dicens: Nolo vt pueri mei mendacium legant, & in hoc post obitum meum sine fructu laborent.

Cum venisset autem feria tertia ante Ascensionem Domini, cæpit vehementius ægrotare in

tare in anhelitu, & modicus tumor in pedibus apparuit; totum tamen illum diem docebat, & hilariter dictabat, & nonnunquam inter alia dixit: Discite cum festinatione, quia nescio quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me Factor meus. Nobis tamen videbatur, ne fortè exitum suum bene sciret. Noctem in gratiarum actione peruigil duxit, & mane illucescente, id est, quartâ feriâ, præcepit diligenter scribi quę cœperamus, & hoc fecimus vsque ad tertiam horam. A tertiâ autem horâ ambulauimus cum reliquijs Sanctorum, vt consuetudo illius diei poscebat, & vnus erat ex nobis cum illo, qui dixit illi: Adhuc capitulum vnum, de libro quem dictasti, deest, & videtur mihi tibi difficile esse te plus interrogare; At ille, inquit: facile est, accipe tuum calamum, & tempera, festinanterque scribe, & ille hoc fecit.

A nonâ horâ dixit mihi: Quædam pretiosa in mea capsellâ habeo, id est, piper, oraria, & incensa. Sed curre velociter, & adduc Presbyteros nostri Monasterij ad me, vt ego munuscula, qualia mihi Dominus donauit, illis distribuam. Et hoc cum tremore feci: Et præsentibus illis, locutus est ad eos, vnumquemque monens & obsecrans pro eo Missas, & orationes diligenter facere; & illi, libenter responderunt.

Lugebant autem, & flebant omnes, maximè autem in verbo quod dixerat, quia æstimaret, quod faciem eius amplius non multum in hoc sæculo essent visuri. Gaudebant autem de eo quod dixit: Tempus est, si sic Factori

meo videtur, vt ad eum modo absolutus ex carne veniam, qui me, quando non eram, ex nihilo formauit. Multum tempus vixi, beneque mihi pius Iudex vitam meam prouidit. Tempus absolutionis meæ prope est: Etenim anima mea desiderat Regem meum Christum in decore suo videre: Sic & alia multa vtilitatis causa ad ædificationem nostram locutus, in lectica diem vltimum vsque ad vesperum duxit.

Et præfatus puer Vuilberth dixit, Magister dilecte, restat adhuc vna non descripta. At ille, bene, inquit, consummatum est: veritatem dixisti. Accipe meum caput in manus tuas, quia multum me delectat sedere ex aduerso loco sancto meo, in quo orare solebam, vt & ego sedens Patrem meum inuocare possim: Et sic in pauimento suę casulæ decantans: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c. Vltimum è corpore exhalauit spiritum; Qui ad easdem Sanctissimæ Trinitatis laudes continuandas in Cælum est ab Angelis deportatus. O fælicem mortem, doctâ ac sanctâ senectute dignissimam! Quis sacris hisce studijs docendi & orandi, Bedæ instar immori nolit? Cur ei Venerabilis cognomentum adhæserit non aliam quæro causam, quàm hanc ætatis prouectissimæ, eximiamque doctrinæ, ac sanctitatis inter suos authoritatem.

Catalogus operum Alcuini habetur apud Authorem eius vitæ, in quibus elucubrandis, simul & epistolis ad multos vtilissimis, reliquum suæ vitæ ducens tempus, cælestem

in terris

in terris vitam egit, præstolans in nouissima positus vigilia Filij hominis aduentū, vt intraret cum eo ad nuptias, lauabat per singulas noctes lectum suum lacrymis, Sanctorum semper se muniens intercessionibus, quorum omni die celebrabat solennia. Nullo enim non die celebrabat Missas, quas cuique diei proprias designarat. Fugiebat modis omnibus otiositatem; Nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat & psalmorum decantationi, ijs dumtaxat indulgens corporis necessitatibus, quæ non possent euitari.

Cum iam dissolui cuperet, & esse cum Christo, id vti die festo Pentecostes eueniret votis omnibus obsecrabat, & à Beatissima Matre videtur impetrasse, cuius hymnum Euangelicum cum hac Antiphona sæpius decantabat: O clauis Dauid, & sceptrum domus Israël; cui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit; veni, & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & vmbra mortis, adiecta oratione Dominica, plurimisque psalmorum versibus appositissimis: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Beati qui habitant in domo tua. Ad te leuaui oculos meos. Ad te Domine leuaui animam meam, &c. Nocte Ascensionis decidit in lectum, graui fatigatus languore vsque ad mortem, nec poterat loqui; Tertia tandem antequam migraret die solitam exultationis voce decantauit Antiphonam. O clauis Dauid, cæterosque psalmo-

rum versus. Die verò Pentecostes peracto matutinali officio, qua hora consueuerat ad Missas ingredi, plenus dierum obijt, in cæle-sti templo, coram Agno, inter sacros Leuitas, semet hostiam sempiternæ laudis oblaturus, anno Domini octingentesimo quarto.

Hæ sunt igitur, in quibus Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Beda, Alcuinus excelluerunt, illustres ingenij exercitationes, hæc præclara mentis curricula, in his desudans atque elaborans corporis vires non magnopere desiderat, in his studijs laboribusque viuenti non intelligitur quomodo obrepat senectus; Ita sensim sine sensu ætas senescit, nec subitò frangitur, sed diuturnitate extinguitur; imò verò renouatur, & Dei munere fælicissimè commutata in beatam migrat æternitatem.

Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O pręclarum munus ætatis, exclamat Cato, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum; at ego sat habuerim dixisse, periculosissimum! Non enim semper vitio ac culpæ affinis est voluptas, periculi tamen semper est plena, ipsi quoque senectuti non rarò blanditijs suis graues insidias struens. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus à natura datam si dixerim, vereor ne & ingratus, & blasphemus sim in Deum authorem naturæ, qui ad eam tuendam ac propagandam, actionibus necessarijs voluptatis illecebram, ac suauitatem admiscuit, nè penitus illæ negligerentur; neque, si

que, si moderata sit ea voluptas, intra rectæ rationis limites comprehensa, dum naturalis eius seruetur modus, semper inhibita est.

Nihil quidem vnquam ipsius voluptatis causâ est agendum, neque pro scopo illa adhibenda est, qui turpis fuit, ac delirus error Epicuræorum; quandoquidem velut vmbra corpus actionum consequatur, ex earumque conditione ac lege pendeat, repudiandáne sit, an amplectenda. Et, si quidem actiones honestæ sint, ac tuendæ corporis valetudini, aut hominum propagandę speciei honestâ coniugij viâ necessariæ, aut certè permissæ ac licitæ, ijs adiuncta voluptas, earumque veluti comes ac pedisequa, non erit aspernanda; sed magnopere cauendum est, ne se intra necessitatis terminos minimè cohibeat, ac dominari velit, nè consilium ac rationem euertat, occupataque mentis arce, temperantiam omnem, ac virtutem excludat. Tum verò non spectanda sola corporis voluptas; siue in suaui sensuum motione, ac titillatione; siue in vacuitate, ac carentiâ doloris sita sit; neque omnia referenda sint ad corpus, cum animus longè sit potior, animiqne delectatio infinito quodam spatio corporis titillationes omnes antecellat.

Est enim incomparabiliter animi vis potior atque excellentior, intelligendi & appetendi facultas acrior, interior, ac omni ratione prȩstantior, quàm sensuum corporis externorum, qui non nisi superficie tenus externa contingunt obiecta, neque se ad præterita vnquam, aut futura protendunt. Inter ipsa

obiecta

obiecta spiritalia, cœlestia, sempiterna, & hæc corporea, terrena, præteruolantia, quæ in continuo fluxu labuntur, nulla quoque potest esse comparatio; non secus atque cum Deo rerum omnium Conditore nulla potest omninò creatura comparari.

Corporis omnia bona fluxa sunt, ac caduca, quæ nusquam consistunt, nec appetitum explent, aut satiant, sed immoderatâ magis accendunt cupiditate. At Deus Opt. Max. summum animi bonum est, quo solo perfruatur, seque ipso melior, & omninò beatus efficiatur; extremus finis, ad quem omnia referantur, cuius assequutione denique conquiescat animus, vltra quem nihil omninò desideret, aut desiderare queat.

Ang. in Ps. 102. Bonum tuum quære, ô Anima: est enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent quoddam bonum integritatis suæ, & perfectionis naturæ suæ; Summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? Sunt enim & inferiora bona, quæ alijs, & alijs bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, viuere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi, quid gaudes quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Contempta nempe voluptate corporis, ad animi delectationem, honestasque virtutum exercitationes, quibus illa gignitur, assurge, confer studium tuum ad Deum, quoad patitur hęc mortalis vita, Fide, Spe, Charitate, Religione, atque omni virtute

tute consequendum, vt mox ab hac vita eodem claré conspectо potiaris in beatam omnem æternitatem. Etsi non possit ab ipsa virtute seiungi voluptas Animi, (voluptas certè corporis potest: nam in maximis doloribus perferendis præcipuè virtus elucet) tamen nec ipsa voluptas animi per se est expetenda. Non est ipsa merces, nec causa virtutis, sed accessio quædam, neque quia delectat, placet sed quia placet, delectat; fructus quidam est consequens honestæ vitæ, non ipsius scopus, ac finis.

Quin & ipsa solatia gratiæ infusæ diuinitus immissa, tanquam cælestium gaudiorum stillæ quædam rorantes è cælo, non debent per se expeti, nec in ijs contemplationum atque orationum nostratum præfigendus est scopus; sed ad Deum impensius amandum, in eiusque obsequio feruentius progrediendum, cum offeruntur, gratissimis animis excipi debent. Et quia ita comparati sumus, vt absque delectatione aliqua viuere nequeamus, cælestis appetenda est, nè terrestris præoccupet, & à recto virtutis tramite nos abducat. Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest: Greg. 18. mor. c. 8.
Nam aut infimis delectatur, aut summis: & quantò altiori studio exercetur ad summa, tantò maiori fastidio torpescit ad infima. quod vulgari prouerbio receptum est: Gustato spiritu desipit omnis caro.

Triplicis omninò generis sunt actiones, quæ à nobis suscipiuntur, quas consequi voluptas, ac delectatio solet: Ordinis naturæ duplices; aut ad corpus, aut ad animam pertinentes

tinentes: Tum superioris ordinis tertiæ, quę ad Dei gratiam, & amicitiam promerendam referuntur: exercitatio nimirum Theologicarum virtutum, & moralium infusarum, quæ quantò sunt superiores ac diuiniores, tantò puriorem, ac sinceriorem pariunt animi delectationem; in quâ tamen ipsâ minimè est acquiescendum.

Quod attinet ad voluptates corporis, partitio illa; In naturales, & necessarias, quæ nec operâ, nec impensâ multâ expleantur; In naturales, nec tamen necessarias, quę sint facilè parabiles, & terminatæ; Et inanes, quarum nec modus, nec finis vllus inueniri queat; vitiosa est: non solùm, quia partem in genere numerat; nam prima partitio esse debuisset, in naturales, & inanes minimè naturæ congruentes; illę verò naturales, aliæ necessariæ, aliæ non necessariæ; alię parabiles facilè, alię difficulter; Verum in eo maximè peccat diuisio, quod naturales omnes censendę sunt necessariæ, & vice versâ, necessarię, omnes naturæ congruentes; Non necessariæ autem, inanes, fine suo carentes ac destitutę: Naturæ enim inseruiendum est, & eius dumtaxat necessitati subueniendum, quod amplius est extra metam necessitatis, inane est, & nullo fine, ac termino restringitur: Vnde Sancti Viri, ait idem S. Gregorius, in omne quod agunt studiosissima intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas, quam sibi debetur, exigat; ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione

[margin: 20. mor. c. 15.]

ſtione ſuſtinent, & quaſi quidam rectiſsimi arbitri inter neceſsitatem, voluptatemque conſtituti, hanc conſolando ſubleuant, illam premendo frænant. Praui autem neceſsitates ad vſum ſuæ voluptatis retorquent.

Quare periculum in eo ſubeſt, ne voluptas neceſsitatis effigiem, ac laruam induat, eaque ſe contegat, ac de neceſſariâ & naturali, infinita prorſus, inexplebilis, & inanis euadat.

Hoc me docuiſti confitebatur Deo Sanctus Auguſtinus, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtiâ tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ; Et quis eſt, Domine, qui non aliquando rapiatur aliquantulum extra metas neceſsitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum; ego autem non ſum, quia homo peccator ſum. 10. Conf. 31.

Difficile ſanè eſt, in ipſâ quoque ſenectute, blandimentis voluptatis obſiſtere: diuinus enim Plato eſcam malorum voluptatem appellat, quod eâ homines capiantur, vt hamo piſces. Eſca hæc in hamo dulcis aſpectu, læthalis in guſtu. Ac tametſi in ſenibus minor eſt ſenſuum titillatio, non tamen omnino nulla eſt, in iis quoque viget igniculus, ac concupiſcentiæ fomes, qui reprimi quidem poteſt, at penitus extingui non poteſt. Etſi procul velut abeuntes voluptates intueantur ſenes; tamen intuentur, ac magnopere verendum, nè blandiſsimis iſtis Dominis, ſi præſertim aſſueuerint à iuuentute, poſtlimi-
nio

nio velut reuocatis, aditum patefaciant, arcemque mentis, ac dominatum tradant. Iuuenes velut aduenientes ac blandientes voluptates quò propius, eò periculosius intuentur; maiorque omnino ijs adhibenda est cautio, cura, ac diligentia, vti maturè penitus arce, ac dominatu mentis excludantur.

Id nos monet Sapiens, quod Aristotelem quoque præcipere solitum ferunt, exitum potius, quàm introitum, aduentumque voluptatum intueamur, ad stimulum & caudam scorpionis potius, quàm ad faciem aduertamus.
Prou. 23. v. 31. 32. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*
Prou. 5. v. 3. 4. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* Voluptates venientes fucatâ specie blandiuntur, abeuntes autem pænitentiam, & dolorem, confusionemque relinquunt.

Duplex ea est præcipua voluptas corporis, quæ sensu quidem infimo gustu, ac tactu maximè terrestri, percipitur; sed acris, & vehemens imprimis, quam facilius omnino præscindas, atque à radice conuellas, quàm moderens, ac reprimas, ne se vltra necessitatis, ac rectæ rationis metas efferat; Vna in cibi, potusque sumptione, ad sui cuiusque, & indiuidui conseruationem, altera ad humanæ speciei propagationem, permixtione sexus, ac concubitus vsu, pertinens: cæteræ quæ oculis, auribus spiritalibus magis, & ad discipli-
nam

nam accommodatis sensibus hauriuntur voluptates, non tam vehementes habent aculeos, quin facilius coërceantur, ac negligantur. Omnium verò minimam vim habet odoratus; sed priores illæ cibi, potusque, ac rerum Venerearum, quæ sunt nobiscum pecoribus communes, quò maiores ac longiores sunt, eò deteriores, faciliusque mentem de suâ sede ac statu disturbant. Si quis hac voluptate coporis tanta incitetur, quanta percipi potest maxima, certum est tam diu eum nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posse.

Amicitiam cum Dauide coluit Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, & præbuit alimenta Regi cum Absalonem fugeret, hoc igitur interempto, rogatus est, à Dauide, secum rediret in Ierusalem, ac securus quiesceret. Et ait Berzellai ad Regem: *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum Rege in Ierusalem? octogenarius sum hodie: nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltra vocem cantorum, atque cantatricum? quare seruus tuus sit oneri Domino meo Regi?* Nempe qui sibimet iam ipse sit oneri, nullamque aliam, quàm de morte ac sepultura curam, ac cogitationem habeat. 2.Reg.19.

Iam quoad alteram voluptatem rei Venereæ; Cum Abrahamo ferè centenario, & Saræ nonagenariæ filius intra eius anni curriculum promitteretur, risit Sara, non tam fidem abrogans, quàm rei nouitatem atque insolentiam obstupes-

obstupescens. *Erant autem ambo senes, pro-*
Gen.18. v.11.12. *uectaeque aetatis, & desierant Sarae fieri muliebria. Quae risit occultè, dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?* Qua de causa & Sancti Praecursoris parens Elisabeth occultabat se mensibus quinque, verecundiae, & honestati consulens.

Vbi vidit Sara Ismaëlem ludentem cum filio
Gal.4. v.29. suo Isaac, quem ludum Apostolus persequutionem interpretatur, institit apud Abraham maritum, Deo probante, eijceret ancillam, & filium eius; nempe si caro spiritui blandiatur, si iocis illecebrosis alliciat, ac lenocinijs demulceat, mox abijcienda est, ac fugienda, ne suo complexu spiritum enecet. Vt Ioab Amasam complexans transfodit, ac interemit; sic blandissimę Dominę voluptates, dum nos astringunt, enecant, suo nos complexu praefocant, atque interimunt.

Habenda igitur gratia senectuti, quod eius vtriusque voluptatis cupiditatem nobis imminuerit. Est omnis ea voluptas res humilis, & vilis, ministerio, atque vsu sensuum, ac membrorum vitium prouueniens, moxque ipso temporis lapsu praeterfluens, sui fastidium generans, non sine admixta quadam turpitudine ac faeditate, inimica ferè rationi, perstringens mentis oculos, atque omne animi lumen extinguens, nisi summa adhibeatur cura, ac moderatio, vt necessitati magis, quàm voluptati, consulatur.

Non sit harum voluptatum tanta quasi titillatio in senibus, sed nec desideratio quidem; Nihil autem molestum, quod non desideres.

ſideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam iam confecto ætate quæreret; vtereturne rebus' Venereis? Dij meliora, inquit, libenter verò iſtinc, velut à Domino agreſti, ac furioſo profugi: cupidis enim rerum talium odioſum fortaſſe & moleſtũ eſt carere; ſatiatis verò, & expletis iucundius eſt carere, quàm frui. Quamquam non caret is, qui non deſiderat, & hæc non deſiderare longè ſanè iucundius eſt, quàm frui. Tum verò beatiſsimum illum cenſeo, qui ne primoribus vnquam labris voluptates iſtas deguſtarit, qui ſolius neceſsitatis rationem habuerit, nunquàm ipſas per ſe voluptates expetierit: hoc enim poſtulat Chriſtiana diſciplina, vt ipſi etiam neceſsitati detrahamus aliquantulum, ac potiorem omnino ſpiritus, quàm corporis, valetudiniſve, rationem habeamus.

Quâ de re præclarè quodam ſermone Bernardus aduerſus obſeruatores ciborum, morum neglectores: Non Hippocratis, aut Galeni ſententiam debui proponere vobis, aut certè de ſcholâ Epicuri; Chriſti diſcipulus ſum, Chriſti diſcipulis loquar, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert; Chriſtus, meus Magiſter, vtriuſque rei contemptum prædicat. Animæ in corpore vitam iſte vnde ſuſtentet, ille vnde & delectet, inquirit, atque inquirere docet; Saluator monet, & perdere; Qui amat animam ſuam, perdet eam; ſiue ponendo vt Martyr; ſiue affligendo vt pænitens: Quanquam genus Martyrij eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, Serm. 30. in Cant.

 horrore

horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.

Ad Gal. 5. v. 24. Sanè *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Iamque à primâ ætate senes mortificare membra sua, & Christi Crucis asperitatem, omni contemptâ voluptate, vt animi sui solatium diligere, & excolere consueuerunt. *Super salutem & speciem dilexi sapientiam*; Quantò magis super voluptatem, ac turpitudinem?
Sap. 7. v. 10.

Fateor tamen id quod res est, aduersus has voluptates à natura velut insitas multò maius est præsidium in Diuina gratia, quàm in ætate prouecta: Neque suæ senectuti, atque anteactę vitæ quisquam præfidere debet, esto frigidus obsistat circum præcordia sanguis, nemo tamen immunis est ab eius cupiditatis periculo, nisi Diuina gratia muniatur.

Neque desunt exempla in sacris litteris præclarissima: Duo illi nequissimi senes Babylonij, qui in Susannæ castissimæ concupiscentiam exarserant, quorum cariosam, putrescentemque libidinem castissima Danielis adolescentia condemnauit. Sed nihil illustrius est Salomone, cuius, *cum iam esset senex, deprauatum est cor, per mulieres alienigenas &c. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore, fueruntque ei vxores quasi reginę septingentæ, & concubinæ trecentæ: & auerterunt mulieres cor eius.*
Daniel. 13
3. Reg. 11

Annum ætatis agebat sexagesimum quintum Gregor. Nazianzenus, cum ex hac vita migrauit, ex Illustriss. Cardin. Baronij calculo, corpore quidem integro, sed assiduis ægritudi-
Ad ann. Chri. 389. fol. 306.

ægritudinibus debilitato, & cum Arianzi degeret in rure paterno, euocatusque esset cum compluribus Episcopis ad Olympiadis nuptias, excusat se ad V. Clariss. Anysium scribens, quòd podagræ morbo laboraret, de quo alijsque morbis sæpe lamentatur in ijs versibus, quibus suam senectutem, æstu lecto, velut cygneis cantibus solabatur.

Sed maximè inuehitur in carnem suam, cuius aduersus castitatem aculeis à dæmone præcipuè vexabatur: Non improbitati tandem tuæ, impudentiæque finem impones? non spiritui, ac senectuti iam canę stulta, miseraque te submittes? Et mox: quocirca verere me tandem, ac libidinem istam, petulantiamque compesce; nec in animæ meæ perniciem perpetuo furore debacchare: alioqtiin testor fore, vt te acerrimè oppugnem, omnique dolorum genere frangam, atque cadauere imbecilliorem te reddam: At quibus remedijs eandem insultantem coërcere soleret, mox subdit: Venite iam, & quidem magna copia, scelerum expiatrices lacrymæ: veni laboriosum tam mentis, quàm corporis peruigilium, vt flammæ meæ ardorem minuatis, fœtidamque vitiorum putredinem abstergatis. Venter satietatem ableget: genua humi fixa obrigescant, cinisque cibi loco sit: asperrimus saccus mollia membra vndique tegat, vexatæque animæ suppetias ferat. Veni tristis cura, carnis domitrix, futura supplicia mihi semper ob oculos ponens. Atque hæc quidem stoliditati meæ, vecordiæque medicamenta ipse adhibebo. Et alibi cum deplorat

miserias animæ suæ: Ego in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisque curis ter miseram animam conficio, vt eam flammam extraham: nec sic quidem tamen, nisi admodum ægrè, corpus in potestate teneo.

Denique multis irrito conatu remedijs adhibitis ad Deum conuersus: Senectutem, quæso, meam, optime Deus, canumque hoc caput serua, vitæque finem optatum concede. Carmine de rebus suis conqueritur cogi se in senectute experiri, quæ iuuenis nullo negotio sibi visus fuerat superasse. Nam illibatam à pueritia castitatem, virginitatemque seruauerat, & senex hisce facibus libidinis, ac flammis mali Dæmonis arte succendebatur; sed quæ lacrymis, vigilijs, ieiunijs, orationibus, incendioque maiore diuini amoris, incendia carnis extingueret.

Epist. 99. Addam & illud. Cum in propinqua villa Valentinianus quidam, nobilis, loci Dominus, lasciuientes fæminas in oculos Gregorij produxisset, ipse sibi timens, loco cesit, & ad Valentinianum inter alia scripsit: Multò melius erat tabula publicè proposita (proscriptionis scilicet) nobis secessionem indicere, quàm per mulieres, quas è regione nostri collocasti, vitæ grauitatem, & sanctitatem intercidere. At, nisi hoc dictum audax sit, nos quoque per Euam è paradiso expulisti. Nimirum in hoc bello fugere, vincere est; omnis salus in fuga, ac pedibus sita est.

Præterire non possum, quę de loquacitate ab se compescenda tradit, quod vitium sene-

ctuti

ctuti quoque solet esse familiare. Nunc, inquit, & morbo affectus, & senectute fractus, ac debilitatus, in aliam calamitatem incidi, indomitam linguam, præcipitique loquendi celeritate volubilem habens, quæ me inuidi hostis mei manibus semper tradidit, innumerisque incommodis affecit. At quanam coërcuit disciplina? perpetuo quadraginta dierum silentio, quo completo, sic Christum carmine compellat: Tibi linguam meam deuinxi, & eam nunc soluo; quod vtrumque vt piè faciam, te supplex rogo, & obsecro. Loquar quæ loqui conuenit; quæ autem nefas est loqui, ne animo quidem, & cogitatione complectar. Militia sanè est vita hominis ad ipsam vsque senectutem decrepitam, ad vsque mortem, quę demum, cum obita fuerit, consummatam adferet victoriam, præmiumque ac triumphum victori decernet emerito.

Quod igitur apud Catonem sequitur: At illa quanti sunt, animum, tanquam emeritis stipendijs libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque, vt dicitur, viuere! si verò habet aliquod pabulum studij, atque doctrinæ, nihil est otiosa senectute iucundius: Id, inquam, aliqua eget castigatione; Non enim senectute, sed morte finiuntur stipendia vitiorum, aut virtutum, quibus quis à prima se ætate dediderit. Non senectus, sed mors denique receptui canit, victoribus præmia, victis supplicia, Diuinæ Iustitię velut administra, consignans. Et quis non optet nulla vnquam vitiorum stipendia meruisse, sed in

 virtutis

virtutis, atque innocentiæ castris à primâ pueritiâ continenter militasse? ad hæc certè maturè transfugisse commutatione vitę, ac pœnitentię salutaris susceptione, desertis profligatisque vitijs?

Iam in senectute, si quis secum esse, secumque viuere velit, videat ne sit cum homine nequam, homine doloso, ac maligno potius, quàm cum Deo esse, ac cum eo versari Cælitibusque, desideret; & ad eum impensius cognoscendum, & amandum ingenij sui vires omnes, studiumque doctrinæ, atque industriæ conferat. Quod si doctrina sæcularis tantum affert lætitiæ, ac iucunditatis otiosæ senectuti, quantum afferet sacrarum ac diuinarum litterarum tractatio, de quibus iam ante dictum est? Iure merito Machabæi:
1. Machab 12: 8. *Nos cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris;* Quos duplo iam auctos habemus accessione noui Testamenti, doctissimis veterum ac recentium Authorum commentarijs illustratos.

Magnopere sanè delectat operum naturæ contemplatio, vt se agriculturæ delectatione satiari posse, neget Cato, eamque vnam suæ senectutis requiem, & oblectamentum ducat, de quâ & Regius Psaltes: *Quia delectasti me*
Psal. 91. v. 5. 6. *Domine in facturâ tuâ: & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine. Nimis profunda facta sunt cogitationes tuę.* At quantò hæc iustius dicentur de operibus gratiæ, ac summis mysterijs Redemptionis humanæ, Incarnationis Filij Dei,
eiusque

eiusque vitę sanctissimæ, Passionis, ac mortis oeconomiâ; de Resurrectione, Ascensione in Cælos, missione S. Spiritus, aduentu supremo ad iudicium, alteraque vita sempiternâ! Horum mysteriorum attenta consideratio, quam immensum piæ senectuti solatium, ac gaudium afferet! quanta mentis exultatio ex certâ Spe, & expectatione futuræ beatitudinis, assiduâ veluti cogitatione prægustatæ! *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia!* Verum hęc alteri tractatui seruentur. Exod. 15. v. 11.

Agrorum, & hortorum excolendorum puræ, & castæ voluptates, non alienæ fuerunt à priscis illis senibus Anachoretis, atque vt vnum proferam locum; Legimus in vita S. Hilarionis; cum Fratribus dixisset instare diem dormitionis S. Antonij, & peruigilem noctem in ipso, quo defunctus fuerat, loco, à se illi debere celebrari; tribus post diebus per vastam, & horribilem solitudinem, tandem ad montem altissimum eum peruenisse, repertis ibi duobus monachis Isaac, & Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonij fuerat. Saxeus, & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ, paulatim riuum efficiunt, super quem ex vtraque ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amoenitatis, & commodi tribuunt. Videres senem huc atque illuc cum discipulis B. Antonij discurrere: Hîc dicebant, psallere, hic orare, hic operari, hic fessus re-

 sidere

sidere solitus erat. Has vites, has arbusculas ipse plantauit: illam areolam manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est; istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit. Iacebat in stratu eius, & quasi calens adhuc cubile deosculabatur: Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quam homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, arduo valde nisu duæ eiusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, commoratus est. Verùm hæ in viuo excisæ saxo, ostia tantum addita habebant.

Postquam autem ad hortulum venerant: Videtis, inquit Isaac, hoc pomarium arbusculis consitum, & oleribus virens? Ante hoc fermè triennium, cum onagrorum grex vastaret, vnum è ductoribus eorum stare iussit, baculoque tundens latera: Quare, inquit, comeditis, quod non seminastis? Et exinde, exceptis aquis, ad quas potandas ventitabant, nunquam eos nec arbusculam, nec olera contigisse.

Hortum hunc Antonij miraculo nobilitatum, & crebris ad Deum precibus consecratum, longè ego Cyri minoris Regis Persarum agro consito prætulerim; etsi & proceritates arborum, & directi in quincuncem ordines, & humus subacta, atque pura suauissimos è floribus efflans odores, admirandam reddiderunt Regis eius diligentiam, ac solertiam;

tiam; à quo essent illa dimensa, ac descripta.

Voluptates agricolarum, ait Cato, nec vlla impediuntur senectute, & ad sapientis vitam proximè videntur accedere: habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura reddit quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum fœnore. Nempe si terra bona est, & optima, diligenter exculta, mortificationis aratro proscissa, non iuxta viam à prætereuntibus proculcata, aut petrosa saxis obsita, aut spinis dumetisque cooperta, præfocantibus sementem Patrisfamilias; afferatque aut trigesimum fructum virtutis inchoatę, aut sexagesimum prouectæ, aut planè consummatæ centesimum. Nec difficile sit quæ Cato subijcit de terræ vi, ac natura; cum gremio mollito, ac subacto semen accipit &c. ad Christi Domini parabolas accommodare; & de vitæ maximè, ac palmitibus, quibus sese, & Apostolos suos comparat, quam serpentem multiplici lapsu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne siluescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Quod ad mortificationis studium in omni quidem ætate, sed adolescentiæ præsertim ac iuuentutis vsurpandum pertinet. Vua succo terræ, & calore solis augescens, adolescentiam, ac iuuentutem adumbrat, quæ primò est peracerba gustatu; dein maturata dulcescit, vestitaque pampinis nec modico tepore caret, & nimios solis defendit ardores, symbolum honoratę, ac probatę senectutis;

nectutis; qua quid potest esse cum fructu lętius, tum aspectu pulchrius?

Hieron. in vita Malc. Aliud in eremo spectaculum, sanè pulchrum, & se dignum reperit Malchus, senex Monachus. Aspicio, inquit, formicarum gregem angusto calle feruere, ferre onera maiora quam corpora, aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant, aliæ egerebant humum de foucis, & aquarum meatus aggeribus excludebant; illæ venturæ hyemis memores, nè madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant; hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant, quodque magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti, quin potius si quam vidissent sub fasce, & onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant.

Prou. 6. v. 6. Inde recordatus Salomonis ad formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis: Cæpi tædere captiuitatis, & monasterij cellulas quærere, & formicarum illarum similitudinem desiderare, vbi laboratur in medium, cumque nihil cuiusquam proprium sit, omnium omnia sunt. Verum à Catone longius aberramus.

Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumve specie dicam? breui expediam. Agro bene culto nihil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum, non modò non retardat, verùm etiam inuitat, atque allectat senectus. At qui mentis oculos habet interna fidei luce collustratos, pulcherrimarumque aspectu virtutum recreatos, quanto iustius dixerit:

dixerit: Animo bene culto nihil poteſt eſſe ornatius, vitijs expurgato, virtutibus conſito, quem ętas certè poſtrema ſibi vindicat. Mementote, ait Cato, eam me laudare ſenectutem, quæ fundamentis adoleſcentiæ conſtituta ſit, ex quo efficitur id, quod ego magno quondam cum aſſenſu omnium dixi; Miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defenderet. Non cani, non rugæ repente auctoritatem afferre poſſunt; ſed honeſtè acta ſuperior ætas, fructus carpit auctoritatis extremos. Quanquam Chriſtianus ſenex nihil magnopere eam apud homines auctoritatem æſtimat, conſcientiæ teſtimonio, ac Dei in ſe beneuolentia contentus; leuia planè ſunt, & contemptibilia, quæ Cato ducit honorabilia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli quæ & apud nos, & in alijs ciuitatibus, vt quæque optimè morata eſt, ita diligentiſsimè obſeruantur. Officia ſunt hæc iuuenum bene moratorum, à ſenibus negligenda, non magnopere per ſe vnquam expetenda.

At ſunt moroſi, & anxij, & iracundi, & difficiles ſenes; ſi quæras, etiam auari, quod commemorat etiam Lyricus Poëta:

Multa ſenem circũueniunt incõmoda; vel quod
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, & timet vti;
Vel quod res omnes timidè, gelidèq; miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Sed hæc morum vitia ſunt, non ſenectutis. At moroſitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent

habent aliquid excusationis, non illius quidem iustæ, sed quæ probari posse videatur. contemni se putant, despici, illudi; præterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est, quæ tamen omnia dulciora fiunt, & bonis moribus, & artibus: idque cum in vita, tum in scena intelligi potest ex ijs fratribus, qui in Adelphis sunt, quorum in altero duritas, in altero comitas. Sic se res habent: vt enim non omne vinum, sic non omnis ætas coacescit vetustate; quanquam & habent vina generosas suas fæces. Seueritatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam; acerbitatem nullo modo: Auaritia verò senilis quid sibi velit, non intelligo: potest enim quidquam esse absurdius, quam quò minus viæ restat, eò plus viatici quærere?

Sed diffidunt sibi senes, eiusque ætatis propria est timiditas; nullam tamen excusationem, quæ probari posit, his vitijs tribuit Christiana disciplina, quæ à prima ętate bellum illis indixit, atque in extrema penitus deuicisse, ac debellasse debuit. Non sunt Christiani senes morosi, iracundi, acerbi, sed comes ac benigni, qui senectutem sine querela traducant, adeoque gaudeant contemni, despici, illudi, vt ad aliquam ducis sui Christi Domini opprobriorum partem attingant. Tales sunt Christiani senes, quales optat Apostolus ad Titum sobrij, casti, prudentes, integri in fide, in dilectione, in patientia; qui, si minus ieiunijs possunt, orationibus, & eleemosynis profusioribus ad mortem se comparant; quibus nulla odiosa est nec in animo, nec in corpore

Ad Tit. 2. v. 2.

pore offensio; Sed quò minus viæ restat, propiusque ad metam accedunt, eo virtutum incitatiore gressu, ac bonorum operum cursu feruntur.

Prouerbij vulgaris locum obtinet: Bis pueri senes; quod tamen pio, ac sano sensu repudiandum non est, si per pueritiam, atque infantiam, humilitatem intelligamus; qua de re D. Augustinus in Psalm. 112. Nostis, fratres, & sæpissimè audistis in Euangelio Dominum dicere: Sinite pueros venire ad me; talium est enim regnum Cœlorum. Et iterum: Si quis non receperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Et multis alijs locis Dominus Deus noster per singulare humilitatis exemplum, superbiam veteris hominis, ad innouandam humiliter vitam, similitudine puerilis ætatis accusat. Quapropter, Charissimi, cum cantari auditis in Psalmis: Laudate pueri Dominum; ne arbitremini ad vos istam exhortationem non pertinere, quia iam corporis pueritiam supergressi, vel iuuenili decore viescitis, vel senili honore canescitis: omnibus enim vobis dicit Apostolus: Nolite effici pueri sensibus, sed malitia paruuli estote, vt mentibus perfecti sitis.

Marc. 10.

1. Cor. 14.

Sint igitur bis pueri senes, non sensuum imbecillitate, aut rationis obscuritate; sed innocentię puritate, malitiæ omnis, & duplicitatis vacuitate; sint sinceritate, & simplicitate pueri, absque vlla præsumptione superbiæ: Nam quā malitia maximè paruulos nos vult Apostolus, nisi superbia? ipsa enim de vana granditate præsumens non sinit hominem

nem ambulare per arctam viam, & intrare per angustam portam. Pueri autem facilè intrant per angustam portam.

Quid est; Laudate pueri Dominum ex hoc, laudate senes & vsque in sæculum? Quia senectus nostra albescet quidem canis sapientiæ, sed non carnis vetustate marcescet, aut quoniam hoc loco humilitatem potius videtur significare pueritia, cui contraria est vana & falsa superbię magnitudo, & ideo Dominum non nisi pueri laudant, quia superbi eum laudare non norunt. Sit senectus vestra puerilis, & sit pueritia senilis, id est, vt nec sapientia vestra sit cum superbiâ, nec humilitas sine sapientiâ, vt laudetis Dominum ex hoc & vsque in sæculum. Tales omnino probandi, atque optandi senes, humiles & prudentes in Christo, diu noctuque in eius celebrandis laudibus occupati.

Dicebat suis sanctus Antonius: Vna est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animę Dominum semper cogitantis iugis recordatio. Hæc eadem vna ratio fœliciter ad extremam vsque decrepitudinem traducendæ senectutis. Nihil magis aduersum valetudini, ac senectuti, quàm animi mœror, ac torpor. Melancholia omni ætati noxia, sed præcipuè senectuti, cui familiarior esse solet. Comitas, hilaritasque mixta senectuti, vt grauitas iuuentuti, maximum est ornamentum.

Quarta restat causa, quæ maximè angere, atque sollicitam habere nostram ætatem videtur, appropinquatio mortis, quæ certè à senectute

nectute non poteſt longe abeſſe. Cum in cæteris variorum euentuum, ac morborum generibus mors poſsit euitari, neque neceſsitate conſequatur; ſenectutem, quæ neceſſarius ineuitabiliſque morbus eſt, & defectio naturę ſuâ ſponte fatiſcentis, non poteſt non aliquando, imò breui conſequi: Sed ô miſerum ſenem, qui ſe ad mortem in tam longâ ætate non compararit! non dico, non viderit contemnendam eſſe, vt Cato, cuius ratiocinatio ſanè claudicat, & longè abeſt à veritate: Aut mors, ait, negligenda eſt, ſi omnino extinguit animum; aut etiam appetenda, ſi aliquò eum deducit, vbi ſit futurus æternus. Quid igitur timeam, ſi aut non miſer poſt mortem, aut beatus etiam futurus ſum? Atqui tertium certè nihil inueniri poteſt; Imò maximè, vt æternus ſis, neque tamen beatus, ſed extremâ omni miſeriâ cumulatus. Reformidanda mors, ſi aliquò eum deducit vbi ſit futurus æternus, ſummâ atque omni miſeriâ (quę mors ſecunda, aut deterior morte) mactatus.

Vt proborum, improborumque diſpar eſt vita; ita & vitæ quoque diſpar exitus, morſque diuerſa eſt, & quę mortem conſequitur æternitas. Non ſunt iidem fines bonorum, & malorum; vt is, qui ex virtute vitam traduxit, ęternâ mercede cæleſtis vitæ eſt perfruiturus; ita qui ſe flagitijs, ac ſceleribus obſtrinxit, ęternum apud inferos ſupplicium luiturus. Atque, vt præclarè Socrates diſſerebat, duæ ſunt vię, dupliceſque curſus animorum è corpore exeuntium: Nam qui ſe ſummis vitijs contaminarunt, & ſe totos libidinibus dedide-

dediderunt, ijs deuium quoddam est iter, seclusum à concilio Beatorum; qui autem se integros castosque seruarunt, quibusque fuit minima cum corporibus contagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Beatorum, his ad illos, quibus animo iuncti fuerunt, facilis patet accessus. Verum quis tantum sibi arroget, vt integrum se ac castum, neque vllâ corporis contagione maculatum opinetur, nullâ egere expiatione, quin mox obitâ morte in Beatorum domicilium, ac consortium recipiatur?

Prima sunt hæc Christianæ Catecheseos rudimenta; Animos piorum, qui in Dei gratiâ, & amicitiâ excesserint, ac, si quas fortè maculas peccatorum pro mortali huius vitæ fragilitate contraxerint, maturè susceptis à se pœnis, aut alijs benefactis, aut Diuina indulgentia penitus absterserint, continuò in cælum Empyreum, ad Dei Beatorumque concilium recipi: at sceleratorum animos, qui se peccato læthali contaminarint, atque à Dei gratia, & beneuolentia alieni è corporibus abierint, in Orcum, ac Tartarum detrudi sempiternis flammis, ac damnatorum pœnis cruciandos; Tertium quoddam esse genus animorum, qui tametsi nullo grauiore obstricti crimine, neque alieni à Diuina amicitia, sed tamen non planè puri, casti, atque integri, non planè expiatis maculis omnibus leuium delictorum, aut grauiorum antea quoad culpam indultorum, excesserint, ijs patere purgatorium carcerem, quo tantisper in pœnis, ac tormentis detineantur,

dum

dumo plane emundati, Deique, ac Beatorum conspectu non indigni censeantur.

Vbi supremus iudicij dies aduenerit, totiusque orbis consummatio, ac conflagratio fuerit expleta, tum cessabit hic carcer, atque ignis purgatorius, resumptisque corporibus Beati, ac damnati quoque reuiuiscent, eo supremo die sempiternam vitæ, aut mortis ab ęquissimo Iudice Christo Domino sententiam excepturi. Hęc si Catoni perspecta fuisset, aliud, opinor, orationis genus sequutus esset; neque digressione opus habuisset; quanquam, cum ea pertineat ad mores, in ea persequenda eius hic quoque vestigijs insistemus.

Quis est tam stultus, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? quin etiam ætas illa multò plures, quàm nostra, mortis casus habet. Facilius in morbos incidunt adolescentes, grauius ægrotant, tristius curantur. Itaque perpauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret, melius, & prudentius viueretur: mens enim, & ratio, & consilium in senibus est, qui si nulli fuissent, nullæ omnino ciuitates essent; Nulli certè Ordines Religiosi constanti disciplina stabiliti. Si quaque in ciuitate, aut Religiosa familia, numerum quis inire velit, pluresne senes, an ante adeptam senectutem iuuenes, atque adolescentes, mortem obierint; horum longè videbit excedere multitudinem.

At sperat adolescens diu se esse victurum, quod sperare idem non potest senex. Insipienter sperat: quid enim est stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? At senex ne quod

ne quod speret quidem habet (habet omnino beatam æternitatem) At quoad hanc vitam, eò est meliore conditione quàm adolescens: nam id quod sperat ille, hic consequutus est. Ille vult diu viuere: hic vixit diu. Quanquam, ô Dij boni, quid est in hominis vitâ diu? Da enim supremum tempus: expectemus Tartesiorum Regis ætatem: fuit enim, vt scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnauit annos, centum viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum: Cum enim id aduenit, tunc illud, quod præterijt, effluxit; tantum manet, quod virtute, & rectè factis consequutus sis. Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni, nec præteritum tempus reuertitur, nec quid sequatur sciri potest.

In eandem sententiam plenius S. Augustinus in illa verba psalmi trigesimi: Accelera vt eruas me. Ad hoc enim positum est (scilicet verbum accelera) vt hoc totum, quod nobis videtur quamdiu voluitur sæculum, intelligas punctum esse, Non est diu quod habet extremum. Ab Adam vsque ad hodiernum diem, peractum est, & multò vtique plus peractum est, quàm restat peragendum. Si adhuc viueret Adam, & hodie moreretur, quid ei prodesset tam diu esse? tamdiu vixisse? Ergo celeritas hæc quare? quia transuolant tempora, & quod tibi tardum est, in oculis Dei breue est.

Cæterùm, quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet esse contentus; Neque enim

enim histrioni, vt placeat, peragenda fabula est, modò, in quocumque fuerit actu, probetur; neque sapienti vsque ad Plaudite veniendum: Breue enim tempus ætatis satis est longum ad bene honesteque viuendum; hoc est, ad beatæ æternitatis fructum, vt ante dixi, demetendum. Non refert quamdiu, sed quàm bene vixeris; modò beatę portum æternitatis teneas, non magnopere refert, an diu tempestate iacteris, an recto cursu, breuissimo proueharis in portum. Ex alterâ consequente vitâ sempiternâ, summè aut beatâ aut misera, quæ ad illam aditum patefacit, eiusque velut exordium est, mors diiudicanda est, ac discernenda. Mors peccatorum pessima, quæ in abyssum inferni, secundæ mortis, ac miseriarum omnium præcipitat. Mors Sanctorum pretiosa, quâ cælestis æternitas comparatur, quæ nos Dei, ac Beatorum conspectui sistit, atque æternùm adiungit eadem communi fælicitate perfruituros.

Quis sit moriendi sensus, cum ad exiguum tempus duret, præsertim seni iam exhausto, sitne ea secundum naturam corporis animique dissolutio, an aduersante ac repugnante naturâ? facilène fiat, an ægrè adhibitâ vi? an sicut cum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur, sic moriantur iuuenes; senes autem sicut sua sponte consumptus ignis extinguitur; aut quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura, sponte decidunt: sic vitam adolescentibus vis auferat, senibus maturitas? nihil magnopere disquirendum existimo. Sed viuendi finis est optimus, cum inte-

gra mente, certisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ coagmentauit, natura dissoluit. Vt enim nauem, vt ædificium idem destruit facillimè, qui construxit; sic hominem eadem optimè, quæ conglutinauit, natura dissoluit. Nam omnis conglutinatio recens, ægrè; inueterata, facilè diuellitur; ita fit, vt illud breue vitæ reliquum tempus, nec auidè appetendum senibus, nec sine causâ deserendum sit. Vetatque Pythagoras iniussu Imperatoris, id est, Dei, de præsidio & statione vitæ decedere.

Quid enim? malum est mori naufragio, & bonum est mori febre? siue inde, siue inde quis moriatur, quære qualis est qui moritur, quò post mortem iturus est, non vnde de vitâ exiturus. Quacumque occasione hinc exituri sumus. Vndecumque mors pio acciderit, bona est. Nouit Deus quid agat: Tu time, & bonus esto. Vndecumque voluerit vt exeas hinc; paratum te inueniat. Inquilinus enim es, non possessor domus: locata est enim tibi domus, non donata; etsi nolis, migrabis, non tali conditione accepisti, vt quasi tempora certa tibi sint. Quid dixit Dominus Deus tuus? Quando voluero, cum dixero: Migra, paratus esto. Expello te de hospitio, sed dabo domum. Inquilinus es in terra, eris possessor in cælo. Hæc aptissimè S. August. Commorandi nobis natura diuersorium, non habitandi dedit. Tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo discedendum.

Ex Augu. in ps. 148.

Meminisse oportet mortem primæui peccati pœnam esse, & non ipsi Deo primo velut

authori

authori tribuendam. Cuiusmodi futurus sit sensus post mortem; & quæ mortem exceptura sit æternitas; id maximè laborandum; ac planè hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem non ut negligamus, sed maximâ curâ, ac piâ sollicitudine, expectemus, ad eamque nos omni virtutum studio comparemus, sine quâ meditatione ac præparatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certè est, & incertum, an eo ipso die; mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quis possit animo consistere? Is certè, qui in Dei timore, ac cultu sanctè vitam traduxerit, quem nullius grauioris criminis rea conscientia coarguerit, qui tamen non suis rectè factis, sed Christi Domini meritis innitatur; qui morti ipsi cogitatione semper prodeat obuiam, ad eamque omni loco, ac tempore excipiendam Dei gratiâ sese præmunierit, assiduâ cum virtutum Christianarum exercitatione, tum pia Sacramentorum vsurpatione.

Meritò illud Sancti Thomæ Aquinatis dictum laudatur; stultissimum hominem esse, qui se in statu peccati lethalis lecto, ac quieti committat; Nam ea ipsa fortè nocte continget eum emori, & ad Dei tribunal sisti: stultissimus sanè, qui vel momento, in eo statu velit esse, in quo nolit emori; qui mox illud commissum crimen, cum Dei gratiâ, quæ nunquam deest, elicito contritionis actu, non expunxerit, & cum primum licuerit, Pœnitentiæ Sacramento, ac lacrymis non planè diluerit.

Quis nisi stultissimus, in hoc æternæ mortis, ac damnationis discrimen conijcere se, in eoque, non dicam noctem, aut horam, sed punctum temporis hærere velit? *Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Sed in plerisque Christianis hodie vacillat fides, odiosaque omnis mortis, atque æternitatis memoria est. Nunquam ego mortem non timendam dixerim, quam sanctissimi quique viri non mediocriter reformidarunt. De Sancto Hilarione narrat Hieronymus; Cum modicus calor teperet in corpore, nec præter sensum quidquam viui hominis superesset, tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times, egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times? In quæ verba spiritum exhalauit. Si mortem timet Hilarion, quis senex non timeat?

Eccl. 7. v. 18.

Memorabile est, quod de S. Augustino refert Posidius, cuius textum hic inseram. Dicere nobis inter familiaria colloquia consueuerat; Post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos Sacerdotes, absque dignâ, & competenti pœnitentiâ exire de corpore non debere. Quod ipse fecit vltima, qua defunctus est, ægritudine: Nam sibi iusserat psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones, iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter, ac vbertim flebat; Et ne intentio eius à quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, à nobis postulauit præsentibus, ne quis ad eum ingredere-

tur, nisi ijs tantum horis, quibus Medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio; & ita obseruatum, ac factum est, & omni illo tempore, orationi vacabat, atque ita orans obdormiuit cum Patribus, mente sana, atque integris sensibus.

Non fuit dura, & aspera mors, quam pœnitentiæ lacrymæ mollierant, cuius asperitatem omnem lacrymæ cælestis patriæ, ad quam sanctus ille peregrinus adspirabat, sua suauitate detерserant. Mors illi rheda fuit, qua in cælestem Beatorum regiam deueheretur: Sic enim ille solet bonorum mortem appellare vehiculum vitæ beatæ, & immortalis.

Voluit non solum in vita, sed etiam post mortem latere, nullique esse cognitus illustrissimus Arsenius, iubens vt à morte mox pedibus fune alligato sursum in montem attraheretur. Cum tempus emigrationis adfuit, licuit illum videre, qui fuerat Angelis virtute par & similis, metu pulsari & opprimi, & ad lacrymas effundendas moueri: rogantibus ergo Discipulis, & tu, Pater, times mortem? Reuera, inquit, hic metus, quo me videtis affici, nunquam à me recessit ex quo factus sum Monachus. Hoc cum dixisset, &, præsentibus Patribus, quam fieri potuit iucundissimè, quę in exitu dici solent, verba esset elocutus, Sanctorum Angelorum manibus verè beatam tradidit animam, cum vixisset inter Monachos quidem quinquaginta quinque annos, omnes autem, centum & viginti, nulla parte corporis vllo morbo mutilatus, sed id habens integrum, & propter continentiæ labores firmum,

mum, & suauissimum, promissa barba vsque ad ventrem, gracilior ex abstinentia, & laboribus quibus se exercuit, procera statura corporis, senio paululum incuruatus; multis verò lacrymis effluxerant pili superciliorum, quas ad lachrymas jugiter atque vbertim fluentes abstergendas, gremio suo pannum circumferre consueuerat. O præclarum alterum honoratę ac verè Christianę, Deo dignæ senectutis, ac mortis exemplar! ô mortem eò magis expetendam, quò magis in omni superiore vita reformidata fuerat!

Si præter hanc vitam nihil superesset, atque vnà cum corpore simul animus interiret, fortè mors seni, non magnopere esset refugienda: nam rerum omnium satietas vitæ quoque satietatem afferret. Sunt pueritiæ certa studia; num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & ineuntis adolescentię; num ea jam constans requirit ętas, quæ media dicitur? sunt etiam huius ætatis; ne ea quidem quæruntur in senectute. Sunt autem extrema quædam studia senectutis; ergo vt superiorum ętatum studia occidunt, sic occidunt, etiam senectutis; quod cum euenit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert. Omnia omnium ętatum studia ad beatam æternitatem promerendam referenda sunt; cuius vbi certa spes affulget ex Diuina indulgentia, tunc maturum, & opportunū est mortis tempus; Quanquam omnino non esse, hoc ipsum viuentibus videri posit miserrimum, si penitus extinguerentur; Viuentibus, inquam, cum ratione, ac judicio, qui suum nosse possint,

sint, non præsens modò, verùm & præteritum, futurumve bonum, & malum: Verum enim vero, cum desideria ac studia senum non sic occidant, atque intereant; quin semper esse, & beati omnino esse velint, haud leue id est indicium immortalitatis animorum: Non enim id desiderium inane, ac frustra esse debet, quod omnibus senibus, atque adeo toti naturæ commune est.

Sed Catonem de animarum immortalitate disserentem audiamus. Sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas sit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prouidentia, tot artes, tot scientiæ, tot inuenta, non posse eam naturam, quæ res eas continet, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moueat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus: & cum simplex animi sit natura, neque habeat in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum diuidi; quod si non possit, non posse interire.

Quod ait Cato animum non habere principium motus, si intelligas, ne ipsius quidem creationis, ac naturæ, quasi nullum habeat existendi principium, & authorem; non est approbandum, cum sit ex nihilo conditus à Deo; quo sensu, & finem motus habere potest: Nam à Deo in nihilum redigi potest. Quod si intelligas, animum esse sui potentem, liberamque vim arbitrij obtinere, & in vtramque partem eligendi facultatem, inde sanè non obscurè spiritalis eius, & immortalis natura

colligi

colligi videtur, quâ re ad Angelum, & Deum proximè videtur accedere. Nisi spiritalis foret & immortalis, inferioris partis sensitiuę motibus, & appetitui vehementi vehementius ipse contra nitendo non posset obsistere, cum secum ipse pugnat Animus, ac iracundiæ, luxuriæ, desidiæ, seu tristitiæ motus compescit; nec ab eo planè dependeat, sed pro naturæ suæ conditione superior atque eminentior existat; quod obseruatum est à S. Augustino, dum illud; Lauda anima mea Dominum, explicat: An fortè ipsa anima sibi dicit, & sibi
In ps. 145. quodammodo imperat, & se exhortatur, atque excitat? Quibusdam enim perturbationibus ex quadam sui parte fluitabat, ex quadam verò parte, quam vocant mentem rationalem, illam qua cogitat sapientiam, inhærens Domino iam & suspirans in illum anima, aduertit quasdam suas inferiores partes pertubari motibus sæcularibus, & cupiditate quadam terrenorum desideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum: reuocat se ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, & dicit: Lauda anima mea Dominum.

Obseruat idem S. August. hoc arbitrij liberi dono, ac munere prelatum hominem cæteris animantibus, vt solus beatæ, ac miseræ vitæ capax existat, cui conueniat illud, psal.
Psa. 101. v. 11. Quia leuasti, elisisti me; alias: eleuans allisisti. Vnde hoc? Homo in honore positus, factus est ad imaginem Dei, leuatus in hunc honorem, erectus à puluere, erectus à terra, accepit animam rationalem, præpositus est rationis

ipsius

ipsius viuacitate omnibus bestijs, pecoribus, volatilibus, piscibus: Quid enim horum habet intelligentiæ rationem? Quia nullum horum factum est ad imaginem Dei. Quomodo nullum horum habet hunc honorem, sic nullum horum habet hanc miseriam: quod enim pecus plangit de peccato? quæ auis timet gehennam ignis æterni? quia nulla ei participatio beatæ vitæ, nulli stimuli miseriarum. Homo autem, quia factus est, qui sit in beata vita si bene vixerit, ideo erit in misera vita, quia malè vixit. Ergo quia leuasti, elisisti me; ideo sequitur me pæna, quia dedisti mihi liberum arbitrium.

Sanè si foret eadem hominum ac pecudum conditio, idem vitæ cursus atque exitus, idem corporum atque animorum interitus, præstantior aliqua natura reperiretur in hoc Vniuerso, cuius vsibus ac commodis ipsa quoque destinata foret, atque inseruiret humana; sed cum nulla sit perfectior, ad eamque cætera omnia à Deo facta, quæ tota hac mole continentur vniuersi, referantur; cum sit Homo Princeps, ac Dominus huius terrestris domicilij constitutus à Deo, viuaque eius effigies, cui cæteræ subdantur creaturæ, solusque Deum omnium Conditorem mente atque intelligentia consequi possit, vt omnium vice Diuino eius Numini gratus existat, obsequiumque deferat; haud est obscurum Hominem animo, meliore sui parte, spiritalem, immortalem, ac Deo similem esse.

Sed prosequamur ex Catone. Apud Xenophontem moriens Cyrus maior hæc dicit:

Nolite

Nolite arbitrari, ô mihi charissimi filij, me cum à vobis discessero, nusquam, aut nullum fore: nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore, ex ijs rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus.

Sed non ea sola nobis inest cupiditas tuendæ apud posteros memoriæ; sed, vti iam dixi, vitæ ipsius sempiternæ atque immortalis; ipsius, inquam, æternitatis beatæ, insitâ velut à naturâ propensione, cupidi sumus. At veteres illi, cum essent fidei luce destituti, ac per obscuris ex naturæ lumine suspicionibus ad veritatem deducerentur, neque tamen certâ cogitatione, ac persuasione futuram vitam, veramque ac beatam æternitatem complecterentur, illius vmbram atque imaginem, apud posteros memoriam, tanto studio, ac contentione quæsierunt, tantos labores, diu noctuque, domi militiæque susceperunt ad inanem istam æternitatis vmbram, posterorum memoriam, ex qua nihil illis planè accederet commodi, aut decederet incommodi; quod certè fuit inanissimum. Nam si dum adhuc inter homines viuerent, parum, aut nihil illis conferre poterat nominis claritas, atque existimatio apud homines, qui multis erroribus obnoxij plerumque falluntur, & fallunt; quid defunctis adiumenti præstare potuisset.

Quid de me homines sentiant, aut sensuri

sint post mortem, homines, inquam, vani, varij, & inconstantes, qui de rebus incompertis non secus ac de coloribus caeci, iudicant, id omnino parum, aut nihil me attingit, cum internum bonum nullum adijciat, nullumque malum detrahat. Vnde & prouerbio receptum est, honorem in honorante esse, non in honorato. Optimus cuique testis, sua est conscientia: Tum Deo Conditori nostro, & Beatis eius Angelis probare nos operę pretium est, & veram æternamque ab eis gloriam, ac laudem expectare. Posteritatis memoria, laus & gloria, celebritasque nominis veteribus istis Romanis apud Inferos damnatis, quid omnino prodest? sed vmbram, vti dixi, consectabantur æternitatis, qui veram æternitatem ignorabant. Quod dixi iam, repeto: non eis solum inest gloriæ studiosis cupiditas tuendæ apud posteros memoriæ, sed omnibus planè velut quibusdam à natura notis indita sempiternæ beatæque vitæ. Nemo enim est, quin semper esse velit, quin omni modo velit esse beatissimus. Quod sanè desiderium inane esse non potest, neque frustra datum vniuersis ab ipso Authore naturæ. Nisi capaces essemus immortalitatis, non eius adeò, velut à natura, cupidi existeremus, non eius certa spe, & expectatione duceremur.

Maneat igitur animos nostros incorporeos esse, & immortales; etsi non sint ęterni, nec à Diuina mente delibati, aut natura decerpti, in varia transmigrantes corpora, vti Platonici somniabant; tamen duraturos in æternum, neque cum corporibus interituros; quanquam

singuli

nocentiæ Christianæ, eandem ad exitum vsque vitæ conseruauerimus illibatam; Qua cura, spe, & expectatione, sed salutari metu permixta, suspendi nos oportet? Nec enim ignoramus discrimen, cui, dum hæc vita præsens perseuerat, obijcimur, excidendi ab ea beatitudine, ac finis vltimi consequutione, præcipitandique nos in abyssum æternam mortis, ac damnationis; omniumque apud inferos miseriarum; quod discrimen euasisse, quàm esse debet optabile? quæ nos alia potior cura dies noctesque coquere; atque agitare sollicitudo debet, quàm vt eam mortem sempiternam euitemus, vitam verò ac fælicitatem Beatorum assequamur?

Quis non optet huius curriculi tam ancipitis, & incerti, metam attigisse? quis velit iterum decurso spatio à calce ad carceres reuocari, ac cum prope terram, ac portum adspiciat, in altum mare, tempestuosum reuocari? Narrant historiæ Lusitanæ de Bengalensi quodam viro ætatis Nestoreę, qui, cum Prorex Nonius Arcis Dij possessionem adiret, quintum & trigesimum supra trecentos numerabat annos; cui quater, aut quinquies dentes exciderant, totiesque renati; canities exuta, & induta; senectus cum iuuentute commutata. Hanc sibi sortem quis appetat? aut instar Castorum, quotidie quodammodo mori, & renasci; alternis senex, iuuenisque fieri; & in incerto suæ salutis discrimine semper hærere?

Laudabat S. Augustinus Episcopi cuiusdam sui familiaris, etsi parum litteris eruditi, sententiam;

tentiam; Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modò? Laudabat & illam S. Ambrosij maximè memorabilem: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Quod aiebat dixisse, ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Innititur sanè purgata, pacataque conscientia, quæ secura mortem expectet, Dei imprimis infinitâ bonitate, clementiâ, ac misericordiâ; tum Christi Domini, Saluatoris meritis, ac pretio Redemptionis exhibito, cuius in partem venit vsu ac frequentatione piâ Sacramentorum, quæ sub extremum tempus crebriùs vsurpantur; tum denique vitæ honestè peractæ, cum ope Diuinæ gratiæ, memoriâ; expiatis ante commissis peccatis, ac primævâ innocentiâ restitutâ.

Hac conscientiâ, ac confidentiâ munitus Magnus Antonius mortem non exhorruit, sed expetiuit, & postremâ, quam ad suos habuit, concione prædixit: Cogit naturæ conditio, vt post centenarium numerum, quem annis quinque supergredior, iam resoluar. Et aliàs duobus, quos speciatim instituerat, discipulis; siue Amatham, & Macarium intelligas; siue Isaac, & Pelusianum: Ego, filioli, secundum eloquia scripturarum, Patrum gradior viam: Iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cælestia. Sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religiosum institutum arripuisse arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. Ad finem, testamenti vice, vestimentorum meorum ista sit diuisio; Melotem, & pallium

ne quod speret quidem habet (habet omnino beatam æternitatem) At quoad hanc vitam, eò est meliore conditione quàm adolescens; nam id quod sperat ille, hic consequutus est. Ille vult diu viuere: hic vixit diu. Quanquam, ô Dij boni, quid est in hominis vitâ diu? Da enim supremum tempus: expectemus Tartessiorum Regis ætatem: fuit enim, vt scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnauit annos, centum viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum: Cum enim id aduenit, tunc illud, quod præterijt, effluxit; tantum manet, quod virtute, & rectè factis consequutus sis. Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni, nec præteritum tempus reuertitur, nec quid sequatur sciri potest.

In eandem sententiam plenius S. Augustinus in illa verba psalmi trigesimi: Accelera vt eruas me. Ad hoc enim positum est (scilicet verbum accelera) vt hoc totum, quod nobis videtur quamdiu voluitur sæculum, intelligas punctum esse, Non est diu quod habet extremum. Ab Adam vsque ad hodiernum diem, peractum est, & multò vtique plus peractum est, quàm restat peragendum. Si adhùc viueret Adam, & hodie moreretur, quid ei prodesset tam diu esse? tamdiu vixisse? Ergo celeritas hæc quare? quia transuolant tempora, & quod tibi tardum est, in oculis Dei breue est.

Cæterùm, quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet esse contentus; Neque enim

enim histrioni, vt placeat, peragenda fabula est, modò, in quocumque fuerit actu, probetur; neque sapienti vsque ad Plaudite veniendum: Breue enim tempus ætatis satis est longum ad bene honesteque viuendum; hoc est, ad beatæ æternitatis fructum, vt ante dixi, demetendum. Non refert quamdiu, sed quàm bene vixeris; modò beatę portum æternitatis teneas, non magnopere refert, an diu tempestate iacteris, an recto cursu, breuissimo proueharis in portum. Ex alterâ consequente vitâ sempiternâ, summè aut beatâ aut misera, quæ ad illam aditum patefacit, eiusque velut exordium est, mors diiudicanda est, ac discernenda. Mors peccatorum pessima, quæ in abyssum inferni, secundæ mortis, ac miseriarum omnium præcipitat. Mors Sanctorum pretiosa, quâ cælestis æternitas comparatur, quæ nos Dei, ac Beatorum conspectui sistit, atque æternùm adiungit eadem communi fælicitate perfruituros.

Quis sit moriendi sensus, cum ad exiguum tempus duret, præsertim seni iam exhausto, sitne ea secundum naturam corporis animique dissolutio, an aduersante ac repugnante naturâ? facilène fiat, an ægrè adhibitâ vi? an sicut cum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur, sic moriantur iuuenes; senes autem sicut sua sponte consumptus ignis extinguitur; aut quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura, sponte decidunt: sic vitam adolescentibus vis auferat, senibus maturitas; nihil magnopere disquirendum existimo. Sed viuendi finis est optimus, cum inte-

gra mente, certisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ coagmentauit, natura dissoluit. Vt enim nauem, vt ædificium idem destruit facillimè, qui construxit; sic hominem eadem optimè, quæ conglutinauit, natura dissoluit. Nam omnis conglutinatio recens, ægrè; inueterata, facilè diuellitur; ita fit, vt illud breue vitæ reliquum tempus, nec auidè appetendum senibus, nec sine causâ deserendum sit. Vetatque Pythagoras iniussu Imperatoris, id est, Dei, de præsidio & statione vitæ decedere.

Quid enim? malum est mori naufragio, & bonum est mori febre? siue inde, siue inde quis moriatur, quære qualis est qui moritur, quò post mortem iturus est, non vnde de vitâ exiturus. Quacumque occasione hinc exituri

Ex Augu. in ps. 148. sumus. Vndecumque mors pio acciderit, bona est. Nouit Deus quid agat: Tu time, & bonus esto. Vndecumque voluerit vt exeas hinc; paratum te inueniat. Inquilinus enim es, non possessor domus: locata est enim tibi domus, non donata; etsi nolis, migrabis; non tali conditione accepisti, vt quasi tempora certa tibi sint. Quid dixit Dominus Deus tuus? Quando voluero, cum dixero: Migra; paratus esto. Expello te de hospitio, sed dabo domum. Inquilinus es in terra, eris possessor in cælo. Hęc aptissimè S. August. Commorandi nobis natura diuersorium, non habitandi dedit. Tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo discedendum.

Meminisse oportet mortem primæui peccati pœnam esse, & non ipsi Deo primo velut

authori

authori tribuendam. Cuiusmodi futurus sit sensus post mortem; & quæ mortem excepturа sit æternitas; id maximè laborandum, ac planè hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem non ut negligamus, sed maximâ curâ, ac piâ sollicitudine expectemus, ad eamque nos omni virtutum studio comparemus, sine quâ meditatione ac præparatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certè est; & incertum, an eo ipso die; mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quis possit animo consistere? Is certè, qui in Dei timore, ac cultu sanctè vitam traduxerit, quem nullius grauioris criminis rea conscientia coarguerit, qui tamen non suis recte factis, sed Christi Domini meritis innitatur; qui morti ipsi cogitatione semper prodeat obuiam, ad eamque omni loco, ac tempore excipiendam Dei gratiâ sese præmunierit, assiduâ cum virtutum Christianarum exercitatione, tum pia Sacramentorum vsurpatione.

Meritò illud Sancti Thomæ Aquinatis dictum laudatur; stultissimum hominem esse, qui se in statu peccati lethalis lecto, ac quieti committat; Nam ea ipsa fortè nocte continget eum emori, & ad Dei tribunal sisti: stultissimus sanè, qui vel momento, in eo statu velit esse, in quo nolit emori; qui mox illud commissum crimen, cum Dei gratiâ, quæ nunquam deest, elicito contritionis actu, non expunxerit, & cum primum licuerit, Pœnitentiæ Sacramento, ac lacrymis non planè diluerit.

Quis nisi stultissimus, in hoc æternæ mortis, ac damnationis discrimen conijcere se, in eoque, non dicam noctem, aut horam, sed punctum temporis hærere velit? *Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Sed in plerisque Christianis hodie vacillat fides, odiosaque omnis mortis, atque æternitatis memoria est. Nunquam ego mortem non timendam dixerim, quam sanctissimi quique viri non mediocriter reformidarunt. De Sancto Hilarione narrat Hieronymus; Cum modicus calor teperet in corpore, nec præter sensum quidquam viui hominis superesset, tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times, egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times? In quæ verba spiritum exhalauit. Si mortem timet Hilarion, quis senex non timeat?

Eccl. 7. v. 18.

Memorabile est, quod de S. Augustino refert Possidius, cuius textum hic inseram. Dicere nobis inter familiaria colloquia consueuerat: Post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos Sacerdotes, absque dignâ, & competenti pęnitentiâ exire de corpore non debere. Quod ipse fecit vltima, qua defunctus est, ægritudine: Nam sibi iusserat psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi de pænitentia, scribi, ipsosque quaterniones, iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter, ac vbertim flebat; Et ne intentio eius à quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, à nobis postulauit præsentibus, ne quis ad eum ingredere-

tur, nisi ijs tantum horis, quibus Medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio; & ita obseruatum, ac factum est, & omni illo tempore, orationi vacabat, atque ita orans obdormiuit cum Patribus, mente sana, atque integris sensibus.

Non fuit dura, & aspera mors, quam pœnitentiæ lacrymæ mollierant, cuius asperitatem omnem lacrymæ cælestis patriæ, ad quam sanctus ille peregrinus adspirabat, sua suauitate deterserant. Mors illi rheda fuit, qua in cælestem Beatorum regiam deueheretur: Sic enim ille solet bonorum mortem appellare vehiculum vitæ beatæ, & immortalis.

Voluit non solum in vita, sed etiam post mortem latere, nullique esse cognitus illustrissimus Arsenius, iubens vt à morte mox pedibus fune alligato sursum in montem attraheretur. Cum tempus emigrationis adfuit, licuit illum videre, qui fuerat Angelis virtute par & similis, metu pulsari & opprimi, & ad lacrymas effundendas moueri: rogantibus ergo Discipulis, & tu, Pater, times mortem? Reuera, inquit, hic metus, quo me videtis affici, nunquam à me recessit ex quo factus sum Monachus. Hoc cum dixisset, &, præsentibus Patribus, quam fieri potuit iucundissimè, quę in exitu dici solent, verba esset elocutus, Sanctorum Angelorum manibus verè beatam tradidit animam, cum vixisset inter Monachos quidem quinquaginta quinque annos, omnes autem, centum & viginti, nulla parte corporis vllo morbo mutilatus, sed id habens integrum, & propter continentiæ labores fir-

mum, & suauissimum, promissa barba vsque ad ventrem, gracilior ex abstinentia, & laboribus quibus se exercuit, procera statura corporis, senio paululum incuruatus; multis verò lacrymis effluxerant pili superciliorum, quas ad lachrymas iugiter atque vbertim fluentes abstergendas, gremio suo pannum circumferre consueuerat. O præclarum alterum honoratę ac verè Christianę, Deo dignæ senectutis, ac mortis exemplar! ô mortem eò magis expetendam, quò magis in omni superiore vita reformidata fuerat!

Si præter hanc vitam nihil superesset, atque vnà cum corpore simul animus interiret, fortè mors seni, non magnopere esset refugienda: nam rerum omnium satietas vitæ quoque satietatem afferret. Sunt pueritiæ certa studia; num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & ineuntis adolescentię; num ea iam constans requirit ętas, quæ media dicitur? sunt etiam huius ætatis; ne ea quidem quæruntur in senectute. Sunt autem extrema quædam studia senectutis; ergo vt superiorum ętatum studia occidunt, sic occidunt, etiam senectutis; quod cum euenit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert. Omnia omnium ętatum studia ad beatam æternitatem promerendam referenda sunt; cuius vbi certa spes affulget ex Diuina indulgentia, tunc maturum, & opportunũ est mortis tempus; Quanquam omnino non esse, hoc ipsum viuentibus videri posSit miserrimum, si penitus extinguerentur; Viuentibus, inquam, cum ratione, ac iudicio, qui suum nosse pos-

sunt,

sint, non præsens modò, verùm & præteritum, futurumve bonum, & malum: Verum enim vero, cum desideria ac studia senum non sic occidant, atque intereant; quin semper esse, & beati omnino esse velint, haud leue id est indicium immortalitatis animorum: Non enim id desiderium inane, ac frustra esse debet, quod omnibus senibus, atque adeo toti naturæ commune est.

Sed Catonem de animarum immortalitate disserentem audiamus. Sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas sit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prouidentia, tot artes, tot scientiæ, tot inuenta, non posse eam naturam, quæ res eas continet, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moueat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus: & cum simplex animi sit natura, neque habeat in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum diuidi; quod si non possit, non posse interire.

Quod ait Cato animum non habere principium motus, si intelligas, ne ipsius quidem creationis, ac naturæ, quasi nullum habeat existendi principium, & authorem; non est approbandum, cum sit ex nihilo conditus à Deo; quo sensu, & finem motus habere potest: Nam à Deo in nihilum redigi potest. Quod si intelligas, animum esse sui potentem, liberamque vim arbitrij obtinere, & in vtramque partem eligendi facultatem, inde sanè non obscurè spiritalis eius, & immortalis natura

colligi

colligi videtur, quâ re ad Angelum, & Deum proximè videtur accedere. Nisi spiritalis foret & immortalis, inferioris partis sensitiuę motibus, & appetitui vehementi vehementius ipse contra nitendo non posset obsistere, cum secum ipse pugnat Animus, ac iracundiæ, luxuriæ, desidiæ, seu tristitiæ motus compescit; nec ab eo planè dependeat, sed pro naturæ suæ conditione superior atque eminentior existat; quod obseruatum est à S. Augustino, dum illud; Lauda anima mea Dominum, explicat: An fortè ipsa anima sibi dicit, & sibi quodammodo imperat, & se exhortatur, atque excitat? Quibusdam enim perturbationibus ex quadam sui parte fluitabat, ex quadam verò parte, quam vocant mentem rationalem, illam qua cogitat sapientiam, inhærens Domino iam & suspirans in illum anima, aduertit quasdam suas inferiores partes pertubari motibus sæcularibus, & cupiditate quadam terrenorum desideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum: reuocat se ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, & dicit: Lauda anima mea Dominum.

In ps. 145.

Obseruat idem S. August. hoc arbitrij liberi dono, ac munere prelatum hominem cæteris animantibns, vt solus beatæ, ac miseræ vitæ capax existat, cui conueniat illud, psal. Quia leuasti, elisisti me; alias: eleuans allisisti. Vnde hoc? Homo in honore positus, factus est ad imaginem Dei, leuatus in hunc honorem, erectus à puluere, erectus à terra, accepit animam rationalem, præpositus est rationis ipsius

Psa. 101. v. 11.

ipsius viuacitate omnibus bestijs, pecoribus, volatilibus, piscibus; Quid enim horum habet intelligentiæ rationem? Quia nullum horum factum est ad imaginem Dei. Quomodo nullum horum habet hunc honorem, sic nullum horum habet hanc miseriam: quod enim pecus plangit de peccato? quæ auis timet gehennam ignis æterni? quia nulla ei participatio beatæ vitæ, nulli stimuli miseriarum. Homo autem, quia factus est, qui sit in beata vita si bene vixerit, ideo erit in misera vita, quia malè vixit. Ergo quia leuasti, elisisti me; ideo sequitur me pœna, quia dedisti mihi liberum arbitrium.

Sanè si foret eadem hominum ac pecudum conditio, idem vitæ cursus atque exitus, idem corporum atque animorum interitus, præstantior aliqua natura reperiretur in hoc Vniuerso, cuius vsibus ac commodis ipsa quoque destinata foret, atque inseruiret humana; sed cum nulla sit perfectior, ad eamque cætera omnia à Deo facta, quæ tota hac mole continentur vniuersi, referantur; cum sit Homo Princeps, ac Dominus huius terrestris domicilij constitutus à Deo, viuaque eius effigies, cui cæteræ subdantur creaturæ, solusque Deum omnium Conditorem mente atque intelligentia consequi posit, vt omnium vice Diuino eius Numini gratus existat, obsequiumque deferat; haud est obscurum Hominem animo, meliore sui parte, spiritalem, immortalem, ac Deo similem esse.

Sed prosequamur ex Catone. Apud Xenophontem moriens Cyrus maior hæc dicit:

Nolite

Nolite arbitrari, ô mihi charissimi filij, me cum à vobis discessero, nusquam, aut nullum fore: nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore, ex ijs rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus.

Sed non ea sola nobis inest cupiditas tuendæ apud posteros memoriæ; sed, vti iam dixi, vitæ ipsius sempiternæ atque immortalis; ipsius, inquam, ęternitatis beatæ, insitâ, velut à naturâ propensione, cupidi sumus. At veteres illi, cum essent fidei luce destituti, ac perobscuris ex naturæ lumine suspicionibus ad veritatem deducerentur, neque tamen certâ cogitatione, ac persuasione futuram vitam, veramque ac beatam æternitatem complecterentur, illius vmbram atque imaginem, apud posteros memoriam, tanto studio, ac contentione quæsierunt, tantos labores, diu noctuque, domi militiæque susceperunt ad inanem istam ęternitatis vmbram, posterorum memoriam, ex qua nihil illis planè accederet commodi, aut decederet incommodi; quod certè fuit inanissimum. Nam si dum adhuc inter homines viuerent, parum, aut nihil illis conferre poterat nominis claritas, atque existimatio apud homines, qui multis erroribus obnoxij plerumque falluntur, & fallunt; quid defunctis adiumenti præstare potuisset.

Quid de me homines sentiant, aut sensuri

sint post mortem, homines, inquam, vani, varij, & inconstantes, qui de rebus incompertis non secus ac de coloribus cæci, iudicant, id omnino parum, aut nihil me attingit, cum internum bonum nullum adijciat, nullumque malum detrahat. Vnde & prouerbio receptum est, honorem in honorante esse, non in honorato. Optimus cuique testis, sua est conscientia: Tum Deo Conditori nostro, & Beatis eius Angelis probare nos operę pretium est, & veram æternamque ab eis gloriam, ac laudem expectare. Posteritatis memoria, laus & gloria, celebritasque nominis veteribus istis Romanis apud Inferos damnatis, quid omnino prodest? sed vmbram, vti dixi, consectabantur æternitatis, qui veram æternitatem ignorabant. Quod dixi iam, repeto: non est solum inest gloriæ studiosis cupiditas tuendæ apud posteros memoriæ, sed omnibus plane velut quibusdam à natura notis indita sempiternæ beatæque vitæ: Nemo enim est, quin semper esse velit, quin omni modo velit esse beatissimus. Quod sanè desiderium inane esse non potest, neque frustra datum vniuersis ab ipso Authore naturæ. Nisi capaces essemus immortalitatis, non eius adeo, velut à natura, cupidi existeremus, non eius certa spe, & expectatione duceremur.

Maneat igitur animos nostros incorporeos esse, & immortales; etsi non sint ęterni, nec à Diuina mente delibati, aut natura decerpti, in varia transmigrantes corpora, vti Platonici somniabant; tamen duraturos in æternum, neque cum corporibus interituros; quanquam

singuli

singuli creentur ex tempore de nihilo, quoties corporum, quibus infunduntur, in vteris maternis formatio, generisque nostri propagatio requirit; incorporei sunt, & immortales, Angelicis prope spiritibus natura pares, qui demum, cum è corporibus excesserint in Diuina gratia, absque vlla sceleris contagione, beatam illam vitam viuant, quæ sola vita nominanda est: nam dum sunt in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, & graui onere perfunguntur, ac quodammodo futuræ se illi alteri vitæ parant, atque approbant immortali.

Neque verò Deus Hominem condidit, vt huius tantummodo mortalis vitæ commodis perfrueretur, de quibus quidem in beato illo primævæ iustitiæ statu cumulatè prouiderat, sed neque lapsum hominem reparauit Deus per aduentum Filij sui Saluatoris, in terras, vt hanc dumtaxat vitam expers grauioris criminis, in gratia ac beneuolentia Conditoris sui peragerct: non erat tanti præsens hæc vita, tam exiguo spatio, ac curriculo definita, vt Deus hominem conderet, & tanto impendio Sanguinis Filij sui repararet: non bene essent collocata Creationis, ac Redemptionis, Naturæ ac Gratiæ Diuina beneficia, si non vltra mortalem hanc vitam longius prorogarentur; cumque nec in hac vita probis, ac pijs semper rectè factorum merces rependatur, nec scelerati, & impij pænas luant malefactorum, id in altera demum vita sempiterna præstari postulat æquissima Iustitiæ Diuinæ lex, ac ratio. Caruissent omnino fructu suo Legis

Euange-

Euangelicæ mysteria, ac Sacramenta, si non ad alteram æternam, beatamque vitam pertinuissent.

Quare non semel S. Augustinus negat nos ob hanc dumtaxat vitam esse Christianos, cum tota spes Christiana in alteram se maximè protendat vitam. Negarim & ego nos homines esse, iudicijque, ac rationis munere donatos à Deo, si non ad alteram capescendam vitam adspiraremus. Quomodo & ipse Gentilis Seneca disserit: Vt nouem mensibus nos tenet maternus vterus, & præparat non sibi, sed illi loco, in quem videmur emitti iam idonei spiritum trahere, & in aperto durare; sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturæ sumimur partum. l. de beata vita.

Qua etiam de causa in Ecclesiæ quoque festis dies, quo ex hac mortali vita in alteram immortalem quisque Sanctus emigrarit, Natalis eius appellatur. Cum igitur plenissimè de altera vita fide sumus instructi; Quod sit Beatorum domicilium, Empyreum cælum; quę societas Angelorum; quę gloria, voluptas, opulentia, dignitas; quę beatitudo, status omnium bonorum aggregatione perfectus; quæ clara Dei visio: quis summus amor perpetuus summa contentione elicitus: quo perfruemur vltimo fine nostro, summo bono; quæ corporum resurrectio gloriosa, supremum iudicij diem consequutura nos expectet, ac maneat, si puri ac casti ab omni sceleris contagione ex hac vita migrauerimus, si, quam sacro fonte Baptismatis accepimus stolam in-

nocentiæ

nocentiæ Christianæ, eandem ad exitum vsque vitæ conseruauerimus illibatam; Qua cura, spe, & expectatione, sed salutari metu permixta, suspendi nos oportet? Nec enim ignoramus discrimen, cui, dum hæc vita præsens perseuerat, obijcimur, excidendi ab ea beatitudine, ac finis vltimi consequutione, præcipitandique nos in abyssum æternam mortis, ac damnationis; omniumque apud inferos miseriarum; quod discrimen euasisse, quàm esse debet optabile? quæ nos alia potior cura dies noctesque coquere; atque agitare sollicitudo debet, quàm vt eam mortem sempiternam euitemus, vitam verò ac fælicitatem Beatorum assequamur?

Quis non optet huius curriculi tam ancipitis, & incerti, metam attigisse? quis velit iterum decurso spatio à calce ad carceres reuocari, ac cum prope terram, ac portum adspiciat, in altum mare, tempestuosum reuocari? Narrant historiæ Lusitanæ de Bengalensi quodam viro ætatis Nestoreæ, qui, cum Prorex Nonnius Arcis Dij possessionem adiret, quintum & trigesimum supra trecentos numerabat annos; cui quater, aut quinquies dentes exciderant; totiesque renati; canities exuta, & induta; senectus cum iuuentute commutata. Hanc sibi sortem quis appetat? aut instar Castorum, quotidie quodammodo mori, & renasci; alternis senex, iuuenisque fieri; & in incerto suæ salutis discrimine semper hærere?

Laudabat S. Augustinus Episcopi cuiusdam sui familiaris, etsi parum litteris eruditi, sententiam;

Sermo. 61.

tentiam; Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modò? Laudabat & illam S. Ambrosij maximè memorabilem: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Quod aiebat dixisse, ne crederetur præsidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Innititur sanè purgata, pacataque conscientia, quæ secura mortem expectet, Dei imprimis infinitâ bonitate, clementiâ, ac misericordiâ; tum Christi Domini, Saluatoris meritis, ac pretio Redemptionis exhibito, cuius in partem venit vsu ac frequentatione piâ Sacramentorum, quæ sub extremum tempus crebriùs vsurpantur; tum denique vitæ honestè peractæ, cum ope Diuinæ gratiæ, memoriâ; expiatis ante commissis peccatis, ac primævâ innocentiâ restitutâ.

Hac conscientiâ, ac confidentiâ munitus Magnus Antonius mortem non exhorruit, sed expetiuit, & postremâ, quam ad suos habuit, concione prædixit: Cogit naturæ conditio, vt post centenarium numerum, quem annis quinque supergredior, iam resoluar. Et aliàs duobus, quos speciatim instituerat, discipulis; siue Amatham, & Macarium intelligas; siue Isaac, & Pelusianum: Ego, filioli, secundum eloquia scripturarum, Patrum gradior viam: Iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cælestia. Sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religiosum institutum arripuisse arbitramini, & cęptæ voluntatis fortitudo succrescat. Ad finem, testamenti vice, vestimentorum meorum ista sit diuisio; Melotem, & pallium

tritum Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat; Serapion Episcopus aliam accipiat melotem; vos cilicinum habetote vestimentum, & valete viscera mea: Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti sæculo vobiscum. Verba finierat, & osculantibus se discipulis, extendens paululum pedes mortem lætus aspexit; ita, vt ex hilaritate vultus eius, Angelorum Sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsentia nosceretur. O fortunatam mortem sô præstantem morti præuiam senectutem.

Neque verò minus illustris fuit tum mors, tum senectus, etsi non adeo prouecta, S. Martini Turonensis Episcopi: Obijt enim dum in visitatione suæ Diœcesis, veluti stans ac pugnās Imperator, versaretur. Cum plangerent circumstantes discipuli, quibus sui corporis dissolutionem imminere prædixerat, ac flentes ingeminarent: Cur nos, Pater, deseris? cui nos desolatos relinquis? Vt totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, lacrymas quoque non tenuit, & ad Deum conuersus: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit in decrepitâ, atque exhaustâ senectute! Quamuis optata seni sit sessio post laborem, est tamen animus victor annorum, & cedere nescius senectuti.

Cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere cessabat, per nox in orationibus & vigilijs, fatiscentes artus spiritui

ritui seruire cogebat, nobili illo strato suo in cinere & cilicio recubans; Et cum à discipulis rogaretur, vt saltem sineret vilia sibi stramenta supponi; Non decet, inquit, filij, Christianum, nisi in cinere mori. Ego si aliud exemplum vobis relinquo, ipse peccaui. Oculis, ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et cum à Presbyteris, qui tum ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpusculum lateris mutatione releuaret; finite, inquit, finite me, fratres, Cælum potius respicere, quàm terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus diabolum vidit prope asſistere: Quid hîc, inquit, adstas cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies, Abrahæ me sinus excipiet. Cum hac ergo voce fatigatum Diuinis operibus spiritum Cęlo reddidit, testatique nobis sunt, qui adfuerunt, iam exanimi corpore, glorificati hominis gloriam se vidisse, de quâ sanè non erat ambigendum. Sed vteris tu quidem, ô gloriose Pontifex, Scripturæ phrasi: Abrahæ me sinus excipiet; cum dicere oportuisset (nisi tua te forsan humilitas inhibuisset) Iesu Christi me sinus excipiet. Planè fidelis es, ac prudens seruus, qui re bene gestâ audisti ab eo: Intra in gaudium Domini tui.

O si, cum in exitu nostro cacodæmon, hostis noster, se offeret, illi queam exprobrare: Nihil in me, funeste, reperies! Si nullius criminis rea conscientia, confidens in Christi Domini gratia, ac meritis, eius aduentum securè expectet, illique etiam prodire gestiat obuiam, accensa lampade charitatis. *Illumina* Deus *oculos*

Ps.12.v.5. *meos ne vnquam obdormiam in morte: ne quando*
v.6. *dicat inimicus meus: Praualui aduersus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero*; qui tum maximè insidiabuntur, vimque & dolos omnes admouebunt, hostes animæ infensissimi. *Ego autem in misericordia tua speraui*, & ad extremum vsque spiritum sperabo. *Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi*, corde, ore, manuque Deum benedicam adiutorem, ac susceptorem in extremo spiritu.

Nam tametsi dispar sit admodum, & propemodum infinito spatio dissita vita mea ab innocentia, ac sanctitate S. Martini: quamuis eam mortem confidentiæ in Deum, & ardentissimæ charitatis, omniumque virtutum notis illustrissimam, sperare non audeam; tamen in Dei bonitate, ac misericordia, in Christi Domini meritis, Sanctissimæque Passionis eius, ac mortis memoria confisus, Sanctissimæ eius Matris Sanctorumque Patronorum meorum precibus adiutus mortem obire non dubitem: si præsertim Ecclesiæ me Sacramentis, Pænitentia, & Eucharistia, quæ eadem & pignus, & viaticum est æternæ vitę, Oleoque Sacro infirmorum communiri voluerit: si ad priora beneficia gratię hoc quoque postremum adiunxerit, non dubitanter, nec trepidè mortem excipiam.

Quidni Christianus senex, bonæ spei plenus, ac lætitiæ, quam illi Christi Domini merita Passionis & mortis, tum eius ope rectè acta vita superior, atque vsurpata Sacramenta conciliant, mortem non tam exhorreat, quam vehemen-

vehementer expetat, animoque lęto, ac gratanti excipiat, in Christum ducem suum intuens morientem, ac resurgentem, ipsâ morte, ac resurrectione commonstrantem, quæ sit ineunda via vitæ, & quis huius mortalis viæ futurus sit exitus ac terminus optatissimus, vita immortalis? Per mortem ad resurrectionem aditur vitę immortalis, ac gloriosę; ad Cęleste Regnum, Beatorum societatem, ad quam quis non votis omnibus adspiret?

Reuocet in memoriam quot iam ex æqualibus suis eadem vitæ societate sibi coniunctis, quibuscum vixerat concordissimè, Deumque sanctè coluerat, ad illum omnium scopum, eiusque Cæleste Regnum obitâ morte sint antegressi: à quibus ad Deum perfruendum, ineundumque Cæleste Regnum amicissimè prouocetur. Meminerit & Sanctorum suorum Tutelarium, quos in omni vita serio religionis cultu est prosequutus, à quibus ad æternam vitam, Cælestemque Patriam, deserta tandem aliquando terra, benignissimè inuitetur; Et dicat ex psalmo: *Lętatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* In quem Ps. 121. v. 1.
psalmum eleganter, atque appositè S. Augustinus. Fratres, veniat in mentem Charitati vestræ, si qua forte festiuitas Martyrum, & locus aliquis sanctus nominatur, quò certo die turbę confluunt ad celebrandam solennitatem, illæ turbæ quomodo se exsuscitant? quomodo se hortantur, & dicunt: Eamus, eamus; & quærunt: Quò eamus? & dicitur: ad illum locum, ad sanctum locum. Inuicem sibi loquuntur, & tanquam incensi sigillatim faciunt vnam flam-

mam,& ipsa vna flamma facta ex colloquutione sese accendentium, rapit illos ad locum sanctum,& cogitatio sancta sanctificat eos. Si ergo ad locum temporalem sic rapit amor sanctus, qualis amor debet esse, qui concordes rapit in Cælum, & dicentes sibi: In domum Domini ibimus. Ergo curramus, curramus, quia in domum Domini ibimus. Curramus,& non fatigemur, quia illuc perueniemus, vbi non lassabimur. Curramus in domum Domini: iucundetur anima nostra in his, qui ea nobis dicunt: qui enim ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam patriam de longinquo clamantes ad posteriores: In domum Domini ibimus.

Viderunt illam Apostoli, & dixerunt nobis: Currite, ambulate. Viderunt illam Sancti Martyres, Sancti Confessores, Religiosorum Ordinum Fundatores, Patroni nostri, qui nos suo cætui Beatorum cupiunt aggregare. Viderunt æquales nostri nuper ex hac vita digressi, quibus recens parentauimus, qui nos bene sperare iubent, non proprijs innixos virtutum meritis, atque officijs; Sed Christi Domini gratia, & beneficentia: merito Sacrosanctæ Passionis eius, ac mortis, qua nobis sempiternæ vitæ Regnum est patefactum. Hic Auctor est fidei, ac spei nostræ; Hic nos bene, atque optimè sperare iubet, qui sua morte vitā peperit æternam, qui moriens mortem interemit, ac resurgens æternitatis aditum, deuicta morte, reserauit.

Ps. 83 v. 5. Aug. in Psa. 148. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* O beati, putamus. erimus nos sic? Eia suspiremus, de suspirio gemamus. Et quid sumus, vt ibi simus? mortales,

proiecti,

proiecti, abiecti, terra, & cinis. Sed qui promisit omnipotens est. Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit vnicum suum? Tales arrhas accepimus, tenemus mortem Christi, tenemus Sanguinem Christi. Qui donauit impijs mortem suam, quid seruat iustis nisi vitam suam? Plura in eandem sententiam tum ibi, tum alibi idem S. August. Plus est iam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quàm vt in æternum viuat mortalis. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Hæc planè anchora est fidei, ac spei nostræ, mors Redemptoris nostri, qua sempiternam nobis vitam comparauit: hac enim morte Filij Dei contusus est aculeus mortis, ac præfractus est stimulus peccati, quo corpus, animamque conficiebat. *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* 1. Cor. 15.

Commendet sanè, qui volet senectutem ab vsu rerum, & experientia, ab auctoritate, quam ille ait apicem senectutis, à prudentia, pace, & tranquillitate, quam affert, compositis animi motibus, qui solent in priore ætate turbulentiores existere; præcipuam ego senectutis laudem duxerim, quod morti sit propinquissima, non modò quòd eam prope iam adesse prænun-

 tiet,

tiet, qua nulla potest esse salutarior admonitio (qua de causa dici quoque potest senectus, non secus ac Philosophia, Mortis commentatio) verùm maximè, quòd minimo à morte spatio disiuncta, quòd proximus ad mortem sit aditus proximaque dispositio, adeoque eius quædam inchoatio. Ac quemadmodum nunquam satis dignè laudari potest mors proba, ac pia, quæ in charitate, & Dei gratia suscipitur, quæ summum illud perseuerantiæ donum habet annexum, mors planè pretiosa, extrema gratia pretij infiniti cumulata, qua cælum emitur, ac vita beata; ad eundem modum proba, piaque senectus, meritis laudibus nunquam satis efferri potest, quæ proximo gradu mortem præcedit, estque eius velut aliqua pars, illi connexa, illam secum aduehens, atque vnà secum magnum illud perseuerantiæ donum, pretio incomprehensum.

Venit mihi in mentem eius tribulationis, non quę multiplex sæpe nos incautos inuenit, & repugnantes opprimit; sed quam nos debemus, ait S. Augustinus, quærere, & inuenire;
in ps. 49. de qua est in psalmo: *Tribulationem, & dolorem*
Ps. 114. *inueni: & nomen Domini inuocaui. Inuoca me in*
Ps. 49. *die tribulationis.* Quæ est ista? Ea ipsa, in hoc mundo fęlicitas, affluentia rerum temporalium, non quidem ipsa tribulatio est, sed solatia sunt tribulationis. Cuius tribulationis? Nostrę peregrinationis. Hoc enim ipsum quod cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quod inter tentationes molestiasque versamur, quod sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas, quæ nobis promissa
est

est. Hanc tribulationem suæ peregrinationis qui non inuenerit, ad patriam redire non cogitat. Et cætera, quæ prosequitur S. Augustinus; dum miserorum miseria facit nos compatientes, atque cum eis miseros.

Hoc igitur quanti est, quod senectus, & mors consequens, huic tribulationi finem optatum imponit? quod extra miseriam omnem, tum nostram, tum proximi, tandem aliquando nos abducit, ac securos in æterna fælicitate, ac Dei laude, gratiarumque actione constituit? Inter miserias illa sanè præcipua est, peccatorum, si non quidem grauiorum, at crebriorum ex innata corruptione carnis, concupiscentiæ fomite, ac vitæ huius fragilitate necessitas quędam velut imposita, quæ senectute minuitur, & morte prorsus extinguitur. Tum & anceps illud, reformidandumque discrimen damnationis, & secundæ mortis incurrendæ, quo nisi morte liberari non possumus, auferetur. Est igitur præcipua laus, ac commendatio senectutis appropinquatio mortis.

Alexis quispiam Poëta, cum qui eum senio fessum, ægre ac lentè videret incedere, rogaret, quid ageret: Paulatim, inquit, morior; significans senes non viuere, sed lentè mori. Quod egregiè Gregorius. Quid enim est quotidianus defectus corruptionis, qui maximè viget in senectute, quam quædam prolixitas mortis? in dies se mori, ac deficere senex experimento condiscit, & quot diebus, & horis, tot se passibus acceleratis ad metam vltimam propinquare sentit. Senex semper est in periculo mortis, vti respondet Iurisconsultus,

non

non remoto, sed proximo, in limine ipso, atque aditu mortis, omnibusque eam prope momentis expectare debet; &, si rite est comparatus, pacatâ conscientiâ, expeditis vitæ suæ rationibus, expetere.

trac.9.in ep.Ioan. Sunt homines, inquit Augustinus, qui cum patientiâ viuunt. Qui adhuc desiderat istam vitam, patienter tolerat mortem, luctatur aduersum se, vt sequatur voluntatem Dei, ex desiderio præsentis vitæ fit lucta cum morte, adhibet patientiam, & fortitudinem, vt æquo Philip.1. animo moriatur; Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur. Ex quo numero est probatus senex, qui Sancti Simeonis instar, Christum Fide, Spe, Charitate complexus, Diuino in eo complexu cupit emori, sæpe illud cygneum carmen animo, & ore voluens: Luc.2. v.29.30. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum Verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Duæ sunt, si quæ aliæ, præstantes notæ salutis, electionis, ac prædestinationis nostræ; contemptus rerum terrenarum, & ardens desiderium cœlestium; si præsens hæc vita fastidio sit, futura in voto, ac desiderio. Ad eam vitam maximè pertinemus, quæ nobis maximè curæ est, ac cordi. Affectu iam sumus, quod re futuri sumus. Interroget se quisque quid amet, ait S. Augustinus, & inueniet vnde sit ciuis, terrestrisne Babyloniæ, an supremæ cælestis Ierusalem? At verò hunc vtrumque pietatis affectum conferre, atque ingenerare videtur senectus,

ſenectus, dum longo rerum vſu atque experientiâ docuit, quàm fluxa, quàm caduca, quàm inania, & flocci facienda terrena omnia, quæ vulgò magna cenſentur bona; dumque propius Cælum intuens, cęleſtia ac ſpiritalia bona certiore ſpe, atque expectatione complectitur, ad eaque ſuſpirans ac gemens anhelat; dum velut è longâ nauigatione, ac tempeſtate periculoſâ, terram ac portum adſpicit, in quem proximo curſu fæliciter inuehatur.

Quin verò dum ſummam Deo vacandi prębet opportunitatem ſenectus; hinc quidem compreſsis animi perturbationibus, tranquillitatem, ac pacem afferens; inde à rebus gerendis, omnique curâ rei tum publicæ, tum priuatæ ſeuocans, otiumque ſanctum indulgens, cęleſtis vitę Beatorum exiſtimari poteſt quædam velut prælibatio ac deguſtatio, ad eius certè ſimilitudinem, quàm proximè accedens inchoata quædam, & imperfecta beatitudo. Quas S. Bernardus Religioſi ſtatus præeminentias, ac ſingularia commoda breuiter explicat, ea mihi in Chriſtianam quoque ſenectutem aptè conuenire videntur. Dicam igitur eius verbis: In ſenectute viuit homo puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, remuneratur copioſiùs, quod planè neceſſe eſt, ſi priores ętates, ac ſenectus in Diuino obſequio traducta maiores gratiæ cumulos aggregarit: Nam gratiæ gloria reſpondet, laborique merces æqua proportione rependitur.

Denique cæteris ætatibus præferenda eſt ſene-

senectus, quod in ea iam extincta, aut valde diminuta cupiditate, charitas magis efferuescit, atque efflorescit. Vt patiendi, sic & merendi copiosior quædam seges in senectute videtur offerri, qua Dei, proximique charitas magis augeatur, atque inflammetur. Neque tantum bene merendi de proximo, pro eo, quod exiguum superest, vitæ tempore vehementi ardet desiderio; sed Christi Domini Saluatoris, Sanctissimæ eius. Virginis Matris, ac totius Curiæ Cælestis tandem aliquando coram intuendæ, adorandæ ac perfruendæ zelo flagrat incensissimo. Quid dicam de ipsius Deitatis, ac totius Sanctissimæ Trinitatis aspectu beatifico? de summi boni, ac finis vltimi beata perfruitione? Quam illam pius senex ardenter sitit! quot votis, suspirijs, lacrymis, quotidie inclamat! quam illi spes omnis, ac mora longa videtur, tardaque expectatio!

O præclarum illum diem, quo nos ad Christi Domini Saluatoris pedes abijcere licebit, & sacra illa vulnerum nostræ Redemptionis notis insignita complecti vestigia! quo ad Beatæ quoque Matris genua, non iam, vt consueramus, supplices; sed gratulabundi prouoluemur, de tot tantisque per eam à Filio beneficijs acceptis gratulantes, ac gratias agentes sempiternas! Quando in cæleste domicilium, ac concilium Beatorum, tot Eminentium Apostolorum, & Apostolicorum virorum, Illustrissimorum Martyrum, Pontificum, Doctorum, ac Confessorum, Sanctissimarumque Virginum, inter Choros Angelorum, Beatarum mentium infinita quadam

corona

corona circumsepti, recipiemur, ea sempiternum felicissima societate perfruituri? Licebit Apostolorum Principes Petrum ac Paulum, Andream, Ioannem; Martyrum Duces Stephanum, Laurentium; eminentissimosque Heroas, Augustinum, Hieronymum, Benedictum, Bernardum, Franciscum, Dominicum, Ignatium coram alloqui, & complecti, & ab eorum beato latere, ne latum quidem vnguem abscedere.

Quid de beatifico Deitatis, ac totius Sanctissimæ Trinitatis aspectu cogitare nos par est? de fruitione summi boni, ac supremi finis nostri, cuius causa conditi, ac redempti, atque in hanc extremam ętatem perducti sumus, quo summo bono continetur omne bonum, quo omnis noster satietur, & expleatur appetitus? Etenim Deo non conspecto, non constaret beata vita. Deus ipse vita est animæ nostræ; hîc quidem in Christiana senectute per gratiam inchoatè; sed obita morte, per gloriam expletè, ac consummatè. Dicat tibi Deus, peccare vis, pecca; fac quicquid te delectat; quicquid amaueris in terra, tuum fiat. Abundent tibi (si licet aliquid Sanctissimi Patris dictis adijcere) non in terra modò, sed etiam in Cælo, non terrestria tantum, sed & Cælestia; viue in illis, non vsque ad tempus, sed semper; faciem autem meam nunquam videbis. Si amasti, ingemuisti. Ecce omni terrena, cęlestique etiam fælicitate, omnibus rebus, quas concupiscere posis, abundes, circumfluant te omnis generis bona; non illa amittis, non illa deseris, quid vis amplius? Fleret & gemeret

August. in Ps. 127.

gemeret castus timor, & sanctus amor, & diceret: Imò tollantur omnia, & faciem tuam
Ps.79.v.8 videam; Exclamaret de psalmis: *Deus virtutum conuerte nos: & osten de faciem tuam: & salui eri-*
Ps.26.v.4. v.8. *mus. Vnam petij à Domino, hāc requiram. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram*. In tuo vnius conspectu con-
Psa.72. v.26. quiescam. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Dum vtraque mentis facultate, velut extensis brachijs, intellectu ac voluntate, clarè videndo, & ardenter amando, complectar, atque in te totus transformer, atque deificer: O fortunatam mortem, quæ certâ hac spe, & expectatione nitatur! O magnum senectutis solatium, beatę huius mortis appro-
Psal.4. v.9.10. pinquatio! *In pace in idipsum dormiam, & requiescam; Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Hæc habui, Perquam Reuerende Pater, quæ paucis elucubrata diebus, ad te transmitterem, communis vtriusque nostrûm senectutis; quam ego quidem ingredior, tu propemodum decurristi (quamquam nullus sit senectutis terminus, & vt centesimam quoque superes ętatem, vehementer exopto) solatia atque adiumenta; quæ abs te, non sinistrè interpretanda, sed in optimam omnino partem accipienda, confido.



FINIS.